ΦΥΛΑΚΤΗΡΙΟΝ

ADVERSVS MAMERTINAE IMMVNITATIS CALVMNIATORES

L. PORCIO CALBETO

I. C. MESSANENSI

AVCTORE.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI



VENETIIS, Ex Typographia
Nicolai Miſſerini. 1623.

SVPERIORVM PERMISSV.

GENIVS MESSANAE AD NASVTOS.

PRodeunt tandem ij commentarij, qui legationis à me in Hiſpanijs obitæ acta continent. ſerius fortaſſe, quam opus fuiſſet, præſertim ſi celeritatẽ inſpicimus, quam aduerſariorum lucubrationes prçſeferunt. Moræ cauſas ſi hic afferam, haud dubie negligentiam excuſauero, diligentiam ſi minus probauero; propius tamen ad illam videar accedere. Primum vetus eſt Alcæi verbum, Momo & maledictis velociſſimas eſſe alas, Veritati autem & bonorum defenſioni plumbeos pedes. deinde rerum gerendarum difficultas, tum ob ingeniorum, quibus cum agendum mihi fuit vel perſpicaciam vel tarditatem, tum ob rerum ipſarum momenta, quinquennio fere me implicitum tenuit. Illud etiam vel in primis accedat, quod non eam mihi dexteritatem ingenij paraueram, vt nullis euolutis libris vel doctis conſultis viris, abſolutos commentarios nouendio prælo dare auderem. Paucorum iſta felicitas eſt,

quos æquus amauit

Iuppiter.

qui tantum in re litteraria ſibi promittunt, vt velocius quam aſparagi coquantur, & veluti per ludum & iocum, & tamquam aliud agentes, extemporaneas orationes funditent, diſſertationes exſpuant, dicendo ac ſcribendo palmam alijs præripiant.

Nobis non licet eſſe tam diſertis,

vtpote qui humi ſerpendo cum vmbris illis Homericis volitamus, & vt vulgo dici ſolet,

Numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

itaque ſeu gralatorio ſeu teſtudineo, vt libet, gradu nobis incedendum fuit. quamquam, ſi verum amamus, eius moræ culpa non tam ſcriptioni, quæ haud ſane multum temporis abſumpſit, ſed editioni tribuenda eſt; quam diu multumque protrahi opus fuit, ita exigente rerum cauſæque ſtatu, nec non temporum articulis momentiſque. De ipſo porro ſcribendi genere nihil mihi hic laborandum. nam vt illud neque nitidum ac florens, neque phaleratum, agnoſco, ita neque ijs verborum lenocinijs opus habuiſſe, probe intelligo. veritatis enim, vt ait Euripides, ſimplex breuiſque oratio eſt. præſertim apud æquos rerum æſtimatores, quibus non orationis lepos, ſed rerum pondera probantur atque examinantur. Modeſtiam, credo, deſiderabitis. fateor, excidit quandoque, & amarulenta eſt oratio. ſed & formicæ ſua ineſt bilis, ira animos vt ſolet ſuppeditare: & ſi cicadē alam quis prēhenderit clarius obſtrepet. memini

mini etiam olim me M. Valerio & C. Fannio Coſſ. Terentium monentem audiſſe.

Tum ſi quis eſt, qui dictum in ſe inclementius
Exiſtimet eſſe, ſic exiſtimet,
Reſponſum non dictum eſſe.

ſed neque ego quemquam eſſe exiſtimo, qui in eo cui oculi effodiantur, quantumuis Stoicæ diſciplinæ acerrimum ſectatorem fingas, conſtantiam magnopere deſideret, vt neque in cariſſimæ rei amiſſione expreſſum aliquem doloris ſenſum velit, vt proinde minus mirum videri debeat, quod cum aduerſarij Mamertinos in ſuſpicionem imminutæ maieſtatis trahere, fidemque eorum eximiam in Principem, cuius vnius merito clariſſima in luce ſunt, exculpere veluti, ſummis opibus contendant, in iuſtiſſimas querelas excurrat oratio. Supereſt illa pars, quæ in omni ſcriptione familiam ducit. veritatem appellant. de qua illud quam optima fide ſpōdere audeo, ſi vllam habetis, nihil me in hæc commentaria reieciſſe, quod non ex probatiſſimo authore ſumpſerim. At enim coniecturis libenter vtor. Quid ni? quia enim mihi ſapienti eſſe ſemper non licet, reliquum ſit, vt opinator ſim. & cum paruulam Cynoſuram certiſsimam viæ ducem, in tanta rerum vetuſtate ac tenebris, oculorum acie non aſſequor, contendo vt ad nitidiſsimam Helicen & clariſsimos ſeptentriones nauigationis curſum dirigere liceat. quod ſi quis alicubi hæreat, vel etiam diſſentiat, non tantum mihi arrogo, vt inuitum traham: ſcio enim

vel

vel Anaxagoræ niuem non fuiſſe albam. Tandem,
quod pene oblitus eram, naſutior aliquis ſuſcepti
operis cenſilium ex me quæret. quaſi non ad ſcri-
bendum iuſtiſſimos titulos afferat charitas, quæ in
patriam eſſe debet. certe cum ex Platonis ſententia
Deo & Patriæ nihil non debeamus, priora officia
pietatis in Deum præſtitiſſe me Veneti ſciunt,& qui
graui ſupercilio non dedignentur percurrere ſcri-
ptitationes illas, quas pro Romanæ Eccleſiæ digni-
tate non multis ab hinc annis lucubraui: boni ciuis
perſonam hoc, qualecumque erit, opere ſuſtinebo.
Cauſas habetis, quæ in me ipſo poſitæ ſuſpenſum
animi facere, & editionem retardare potuiſſent.
nam,quæ in vobis eſt,vnicam tantum reperio, eam-
que plane nimium quantum reformido. N A S O S
ſcilicet veſtros NASVTI omnes quotquot vbique
eſtis eritiſue, quos irriſioni veterum mores dicaue-
re. Eos,ne mihi fraudi ludibrioue ſint,anteliminari
hac epiſtola ſuffumigandos cenſui; fortaſſe vt ea ve-
luti illice, ſi qua ſupereſt bilis, excutiatur. neque
enim ijs ſolum Dijs, qui mortalium generi benefa-
cerent, templa ac ſacra facere antiquiores ſueti, ſed
ijs etiam,qui nocebant,quo minimum nocerent. In-
de Febri templum & Aram in Palatio erectam me-
mini,& Fortunæ item Malæ in exquilijs eoſdem ho-
nores tributos. Id ſi non ſatis eſſe perſpexero, calcu-
lum reducam. Lindio more inſtitutoque NASV-
TISSIMOS iſtos NASOS placari omni ope conten-
dam.

IN AVCTORIS NOMEN

Anagramma.

L. PORCIVS CALBETVS

BELLATOR PIVS SVM.

TV quoque pro patria caput obiectare periclis,
Pro patria calamum ſtringere dulce putas.
Iam non Roma ſuos ad ſidera tollat amantes,
Egregioſque viros, magnanimoſque Duces.
Nam ſi ferro illi patriam aſſeruere cadentem,
Ipſe ſtylo patrias aſſeris Vrbis opes.
Quid ni tantum auſis? cui cum pietatis honore
Nomina, BELLATOR SVM PIVS, vſq; ſonāt.

Aliud

Aliud

L. PORCIVS CALBETVS

CLIPEVS LABOR TVVS.

Calbete ſi quis nomen inuertat tuum,
Suoque quaſque litteras moueat loco;
Titulus libelli clarior quouis ſiet
Aduerſus hoſtē CLIPEVS EST LABORTVVS.

ΦΥΛΑΚΤΗΡΙΟΥ

ADVERSVS MAMERTINAE IMMVNITATIS CALVMNIATORES.

PARS PRIMA.

ENIM vero conſultiſſimè cum mortalium genere ageretur, ſi curulem ſellam ſuam Mors in extrema Hiſpania poſuiſſet. Primum enim loci viſio afflata, mores ſuos exuens, ex ingenio migraret, & quæ tardigrada hominum conſilia inſperata celeritate præcurrere, iamdiù aſſueuit, eam tarditate, & cunctatione, quæ vel gentis vitium, vel cœli temperamentum eſt mitigaret; tum deinde, id quod maximè optandum, ſi quicquam illa tandem conſilij caperet, non omnino importuna, improuiſáque, quod ei quotidiè obijcitur, ſe ſe offerret: ſpaciorum enim interualla, & regionum longinquitas rebus interim componendis, ſarcinuliſq; conuaſandis facultatem copiamqúe præſtaret. Et hercle non omnino rudis, & inexpertus hæc ſpondeo. cum enim in eas me regiones grauiſſimarum rerum cura compuliſſet, Dij boni, quam longum iter ingreſſus ſum, quam laborioſum? in ipſo vero obeundo negotio quid ærumnarum non ſuſcepi, quos non exantlaui labores, quas non inſumpſi vigilias, ſtudia, aſſiduitatem, animi

contentionem? Mihi credite, faciliùs multo fuerit, hordianum nodum explicare, quem ſolo Alexandri Macedonis gladio, non tàm ſolui, quàm ſcindi potuiſſe, fabulatur antiquitas. Reditus, præter eaſdem itineris difficultates, illud etiã laborioſiſſimum habuit, quod verebar, ne nauigatione feliciſſimè confecta, in ipſo Meſſanæ portu vel naufragium, vel certè periculum facerem. Quid ni enim id timerem, qui obſeſſa portus oſtia intelligerem Charibdi, Scylla, Syrenibus, &, quod caput eſt, Plutonem alterum de integro ſurſum deorſum omnia facere, frequenti fama inaudiſſem, cœlum, terras, maria miſcere, & ne quidem ipſius ſupremi Iouis imperium, aut maieſtatem reuereri? Vtcumque tamen, Dijs benè iuuantibus, huc demum terrarum appuli, quo fumentiſſimi illius inferni Dei æſtus ne permeare poſſint, freti interiacentis beneficium eſt. quanquam neſcio quid ex eo genere præſagire mihi animus videtur,

Mantua væ, miſera nimium vicina Cremonę.

¶ Salue itaque antiquiſſime Cœnis, extrema dominæ olim Italiæ pars, & benignus venientem excipe, puluerulentum, ſitu ſordibuſq; obſitum, Ecquis enim non videt, me etiam num ex curſura anhelitũ ducere? Et ò ſi hoſpitalis loci Deæ eadem me humanitate complecterentur, qua Siculæ olim Nimphæ ex ijſdem Hiſpanijs redeuntem Herculem accepere. * nempe videres hic ſaluberrimas erumpentes aquas, & ad recreanda corpora iucundiſſimas. non calidaria, non tepidaria, non frigidaria deſiderares. Sed enim veriſſime ille. ſui cuique loco mores. Ac veluti longa periculoſaque nauigatione perfuncto, ſi tandem rebus integris, ſoſpes ſe in portum recepit, nec illi præteritorum malorum memoria, ſecura periculorum recordatio ſummam affert iucunditatem; ita me hercule cum in mentem reuoco, quibus enataui è malis, in quæ me inieci pericula, quos euaſi euripos, vix impetrare à me poſſum, quin præ lætitia geſtiam, atque adeo exiliam. Libet itaque rem omnem ob oculos ponere. veſtra erit humanitas, quos hæc cognoſcendi ſtudium tenet,

*Diodor. Sicul. l.6.c.2.

¶ Et vt ab ouo, quod aiunt, initium ſumam, nemo veſtrum eſt, qui Siciliam ignoret, nempe in proſpectu eſt, &

Sillius l.11. —*ſpatium, quod diſſociat conſortia terræ,*

Latratus,

Latratus, fama eſt, ſic arcta interuenit vnda,
Et matutinos volucrum tranſmictere cantus

Siciliam, inquam, veterem illam Læſtrigonum, & Cyclopum matrem, Tyrannorum ſedem, monſtris famoſam, fabulis claram, medij maris Reginam. Eius inſulæ homines, ſiue quod nouitate * rerum egregie delectentur, ſiuè quod natura ad inuidiam * procliuiores, vix ferè vnquam indigenis paruiſſe, accepimus. Inde Anaxilas è Peloponneſo Meſſenius, ex Aſſyphalide Cretæ vrbe Phalaris, è Rhodo oriundus Gelon, Corinthius Timoleon, Rheginus Agathocles, Epirota Pirrhus, Athenienſes, Carthaginienſes, Romani rerum potiti ſunt. ſcilicet, ne externi homines faſcibus aut ſceptris deſint, ſatius fuit ab extrema Gothia, ab infandis Sarracenis, à Normannis, à Sueuis, à leuiſſima Gallorum gente dominos petere, qui inſulæ imperium tenerent. externis quippe bellis aut præda habetur, aut pręmium. Aragonum Reges eo numero iure ac libenter eximo. cum enim in Petri fidem, & clientelam Siculi ſe recepere, non ad externum aliquem confugiſſe, credendi ſunt, qui in Conſtantia Petri vxore, Manfredi Regis popularis ſui filia, paternum auitumque imperium agnoſcere videbantur. Inter eius inſulæ ciuitates, quæ neque paucæ, neque contemnendæ omnino ſunt, Meſſana in primis elucet. Orionem * ea conditorem appellat, à quo fortaſſe cum reliqua hæreditate inuidia vrbi venit, paternus ſcilicet, quo ille poſtremo deceſſit, morbus. nota enim fabula, hunc * quod in venandi ſtudijs Dianam æquaret, eius hortatu ſcorpionis ictu petitum occubuiſſe, cœloque à Dijs donatum eſſe. certè Neptuni inuidia primo factum eſt, vt interfuſo maris æſtu Meſſana à reliqua Italia diuideretur. etenim

*Zancle * quoque iuncta fuiſſe*
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
Abſtulit, & media tellurem reppulit vnda.

Deinde ſitus oportunitas, vrbis ſplendor, diuitiæ Cumanos * primum, Calcidenſes inde Eubocæ populos, Anaxilam, Samios, Iones, poſtremo Campanos homines ad inuadendam occupandamque per ſummum ſcelus vrbem impulere. Etiam num ex ijs rebus, quibus inter ipſiſſimos barbaros conciliari charitas, & mutuus amor ſuo iure de-

* Thucid. l. 6 Plutarch. in Pirrho. *Horat. l. 1. Epiſt 1 ad Lollium.

* Diodor. lib. 5. cap. vlt.

* Natalis Comes mithol. l. 8. c. 13

* Ouid. l. 15. metamor.

* Thucid. lib. 6. Pauſan. lib. 4. Herodot. l. 7 Polib. lib. 1.

beret, mirum eſt, quot inuidentium inſidijs petita ea vrbs ſit, quibus tentata artibus, machinis oppugnata, & pene ſedibus ſuis conuulſa. Quod enim antiquiſſimis ſit in tota Sicilia natalibus, & cum ipſa * Deorum Dearumque origine orbi terrarum reddita, quod portu ampliſſimo pulcherrimoque ornata (dubium, naturæ ne eum debeat, an creatori vrbis Orioni, qui iacta mole poſitoque aggere portum exſtruxit) quod ſitu ſit munitiſſimo, * proſpectu in Orientē apprime iucundo, quod belli paciſque artibus in omnem æatem floruerit, digna plane viſa eſt, quæ tum à S.P.Q.R. cum ab Imperatoribus, & Siciliæ Regibus ſplendidiſſimis beneficijs, atque ornamentis ad inuidiam honeſtaretur. præſertim cum ea * loci natura ſit, vt inſulæ imperio viam vel aperire vel intercludere ſola ea vrbs poſſit; incolæ vero eo animorum habitu ingenioque ſint, vt quam ſemel in partem ſe coniecerint, ad extremos vſque ſpiritus conſtantiſſimè tueantur. Potiſſimum inter ea ornamenta locum habet munerum omnium vacatio, quam ab populo R. liberaliter conceſſam, & Orientis Imperatores, & Siciliæ Reges ſartam rectamq; eſſe voluerunt. cumulatiſſimèque confirmarunt. Sed neque tamen moroſi adeo, vel difficiles Mamertini ſunt, quin, vbi vſus ſit, de ſuo iure ſponte concedant, ſæpiſſimè etiam effuſiſſimeque in commune Siciliæ conferant. Eam immunitatem ſemper retentam, ſemperque, & perpetuo vſurpatam, patrum memoria pene euerſam inuidorum facibus, atq; extinctam haberemus, ni prudentiſſimus æque, ac pijſſimus Philippus Rex II. optimè meritæ Ciuitatis dignitati, atque ornamento conſuluiſſet. Etenim bonam fidē, ac Principe optimo dignam agnoſcens, inita cum Mamertinis pactione, quicquid in eum diem per ſuos magiſtratus ad euellendam eam immunitatem dictum, actum fuerat, induxit, abrogauitque. Verum, vt nihil ita firmum validumque eſt, quin improborum artibus machiniſque commoueri poſſit, &

*Diodor l. c. Clu.

*Cic. in Verrem act. 5. lib. 4.

* Diodor. l. 14. Io. Villanus lib 7. Hiſtor. Florent. & ad eū nota Remig. Florēt. Hieron. Surita Hiſtor. Aragon. l. 4 cap. 30. & lib. 5. c. 13.

*Nitimur * in vetitum ſemper, cupimuſque negata.*
Sic interdictis imminet æger aquis

* Ouid. lib. 3. Amorum eleg. 4.

Vix dum à præteritis malis reſpiratum erat, cum tentata, iterum, oppugnata, victa, proſtrataque vno impetu fuit tam ſolidis olim nixa fundamentis immunitas eorum præ-

ſertim

ſertim opera, quibus immenſo voluntarij vectigalis onere obrutis Mamertinos non eadem calamitate premi, permoleſtum ac triſtiſſimum erat. ſcilicet

*Aequior * caſum tulit ac procellas,*
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui videt.

* Seneca in Troade.

obſeſſa etiam vrbs fuit, ne quid conſilij in ea rerum difficultate caperet. id vt vellet, quod numquam animo cogitaſſet, minis, vi, ſummo imperio adacta eſt. & ne malo medicina aliqua afferri poſſet, aditus ad ſupremum Principem obſtructi, obſeſſa itinera, mare ipſum, quod natura liberrimum fecit, vallo veluti atque aggeribus interclusum. Tum quidē ego rei indignitate vehementer excandui. &, en inquam, quo miſeriarum perducta res eſt, vt ne quidem hiſcere contra vim liceat. At qui credebam veriſſime Poetam * olim dixiſſe

* Claudia. in Scilicon. lib. 3.

Fallitur egregio quiſquis ſub Principe credit
Seruitium, nunquam libertas gratior extat
Quam ſub Rege pio.

Sed enim hæc ille ignorat, aiebat. &, qua vna re minus felices Reges ſunt, cum plus iuſto longiores manus habeant, Aulicorum vitio fit, vt hebetiori obtuſoque aurium ſenſu pollere exiſtimentur. Itaque ego, qui ſcirem vrbis * cuſtodiam ab ſummo Ioue mihi mandatam & creditam, meminiſſem etiam Mamertinos, quæ eorum eſt in Deos pietas, atque religio, nullo non die mihi virentibus platani genialis arboris folijs coronato, floribus, thure, vino ſupplicare ſolitos; exiſtimationis ac fidei meæ eſſe credidi, ſi de me optimè meritos homines ex præſentiſſimo ſalutis & dignitatis periculo eriperem, ſin minus, quam poſſem, ijs opem ferrem. Quo circa cum plurima ſe ſe mihi offerrent ad eam obeundam rem conſilia, id vnam in perditiſſimo rerum ſtatu ſuper eſſe exiſtimabam, ſi ſupremum Senatum, qui rebus Italicis præeſt, ea ſuper re conſulerem, Salutarem illam Iuſtitiæ Aram, quam nemini vnquam non facilem ac propitiam fuiſſe ſcirem.

* Ioan. Maria Catan. ad Paneg. Plinij in Traia. Turneb. aduer. lib. 13. c. 12. Girald. de Dijs gent. ſintagm. vltimo.

¶ Longiſſimum itaque iter ingreſſo, quæ terrarum ſpacia ſuperanda, quæ adeunda pericula, qui ſuſtinendi labores fuerint, ſi narrare pergam, vix fidem habitura ſunt. Ventum

tum tandem eſt Madritum regiam vrbem. & cum vires no-ćte collegiſſem, luce prima curiam adij, quo Senatores frequentes conueniſſe audieram. Aedium facies ea erat, quæ & potētiſſimi Principis opulentiæ & grauiſſimi Ordinis amplitudini par eſſet. locus ipſe ſummam religionem ac ſanćtitudinem præſeferebat, vt facilè clariſſimi illius caſtiſſimique Areopagi imaginem referre videretur. Hic primum pulcherrimæ mulieris ſignum è marmore animaduerti, eximia venuſtate, ſingulari opera artificioque perfećtum. ſubſtiti ad adſpećtum Virginis (Virginem autem zona aurea, qua præcingebatur, admonebat) at cũ penitiori obtutu eam totam oculis perluſtraſſem, ſubijt animum cogitatio, Dicen eam eſſe, quam Stoicus * Chriſippus ſuis veluti coloribus graphice delineauit, forma atque filo virginali, adſpećtu formidabili ac vehementi, luminibus oculorum acribus, neque humilem neque atrocem, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate ornatam. Alterum illi ſignum aſtabat, quod ex eius ſocietate Eunomiam referre credidi. Eunomiam, iudiciorum * præſidem, iuris amantiſſimam, vrbium regnorumque columen. Inferiora ſubſellia Togati homines occupabant, quos ſi Latine dicentes audires, haud dubium ſub eodem cœlo natos crederes, patrij tamen ſermonis vſus eos longe diuitarum regionum indigenas admonebat. Igitur prius quam in horum conſpećtum venirem, ſenſim me ſubduxi, & ab neſcio quo homine, qui in humiliori ſella notis quibuſdam Togatorum ſententias tabulis exarabat, qui tandem illi eſſent, percontatus ſum. ille qua erat humanitate, Deorum genus, inquit, hi ſunt, Sacerdotes iuris, maiorum gentium Iureconſulti, flos illibatus populorum, ſola nominis, ac famæ, citraque vllam ſuffragatorum auro redemptam auram, adhæc, quæ vides, faſtigia euećti, communibuſque votis experiri. Horum ſcilicet munus illud eſt, prouincialium hominum querelas accipere, eaſque ad iuris ac legum trutinam examinare. ijdem ipſi tamen, pro re nata, æquum & bonum ita ſequuntur, vt Lesbij ſtrućtores olim plumbea norma vti conſueuere. Tum ſanè ego mihi ipſi gratulabundus manum exoſculabar, & rećtiſſime mecum agi ſentiebam, neque iam amplius cum iago, cum armis, cum machinis mihi rem, aut de meis omnibus fortu-

*Agel. noct. Attic. l. 14. cap. 4.

* Demoſth. in Ariſtogiton.

nis concertandum eſſe.gaudebam vnicum illum in orbe terrarum conceſſum reperiri, à quo, etiam ſi ſummo iure experiri animus eſſet, æquum bonum ſperare atque obtinere poſſem.

¶ Cum igitur illa ſpes animos mihi addidiſſet, audacior factus, propius acceſſi, & , Si licet, inquam, Domini querelas meas ſereno vultu excipere, neque me ſuſcepti conſilij, neque vos collati beneficij pœnitebit. Quaſi vero, inquit ex ijs vnus, nos hæc ſubſellia animi gratia teneant, ac non potius Optimi Maximi Regis iuſſu ſubditorum vota precesque cognituri ſedeamus. fare age. & ſi quam rebus ac fortunis ſuis medicinam ab iuſtiſſimo Principe ſperare audes, eam à nobis ne deſperes iubemus. Hic ego. Souenaxdus. vix ore verbum illud exciderat,cum eos veluti mali nominis omine mirificè turbatos, admirari ſe ſe inuicem, & contracto vultu ſuperciliοque ſuſpicere animaduerto. ſed enim, ne omnino animum deſponderem, Perge, inquiunt, ſodes. hiſtoriam ac fabulam tuam narra. His ego non nihil confirmatus. Vtinam fabulam huc ad vos afferrem, Iudices, ac non potius veram & commiſeratione dignam hiſtoriam. Souenaxdus, quem in ingreſſu prouinciæ Siculi, ceu numen aliquod cælitus delapſum accepere, iam tandem hominem eſſe ſe meminit, & errare poſſe didicit. ſcilicet

Homo ſum,inquit ille,humani à me nil alienum puto.

Is, vt reliqua interim taceam, quæ præter ius dicta factaque ſunt, poſtremo hoc Siculorum procerum conuentu indicto, cum regium ærarium iniuria temporum diminutum, alieni æris grauitate collapſum, adminiſtrorum vitio diſſipatum clamitaret, atque adeo extrema quæque ab immaniſſimo Turcarum Principe timeri iure meritoque poſſe, animaduertendum ſedulo eſſe, ne quid inde reſpublica detrimenti caperet. proinde iuſtiſſime ſe & ex ordine ab ijs petere, vt inclinatæ & tantum nō attritæ rei familiari principis opem ferant, pecunias imperent, tributa decernant. id eo gratius Regi futurum, quo præter omnem eius expectationem beneficium impenderetur. Atque illi quidem facile fuit, qua pollet eloquentia, vnius * non integræ horæ ſpacio à Siculis proceribus, qua ambitionis ſtudio, qua adulatione (quo * Marino pag. 7.

nomine

* Q. Curtius lib. 8. Plutarch in lib. d: diſcretio. adulator & amici.

nomine illi * iam inde ab Alexandri Macedonis ætate peſſime audiunt) in ea conſilia vel ſua ſponte proruentibus, trecentorum millium aureorum tributum in ſingulos nouem annos impetrare, antiquiora etiam onera, quæ quadrigenta millia conficiebant, in nouem alios annos inſtaurare. Ea re Panhormi feliciter & ex ſententia confecta Prætor Meſſanam contendit, eadem proculdubio à Mamertinis impetraturus. Audierat, opinor, ab Accurſianis ſuis triſtiſſimum illud, decere Principem non modo armis ornatum, ſed & legibus quoque armatum eſſe. itaque ab vtroque paratũ ſe & inſtructum voluit. & ne Mamertini, ſi imperio parere nollent, vi armiſque in ordinem cogi non poſſent, copias omnes è præſidijs educit, claſſes ſociorum euocat, ſublatis vacationibus delectum habet, ſaga ſumit, iuſtitium indicit, veluti ſi ad vrbem tumultu Gallico vel Italico trepidaretur. At cum non planè omnino rudes Mamertinos ſciret, primum ſuada illa ſua flexanima alliciendos exiſtimauit, Thraſonici verbi memor.

Omnia prius experiri quam armis ſapientem decet.

* Matute pag. 9.

Iubet itaque Papinianis Vlpianiſque ſuis (Quæſtores vrbani hi ſunt, ſeu ratiociniorum Præfecti, qui à latere Prætori aſſident) iubet, * inquam, de iure reſpondeant, licere ſibi, Mamertinis vectigal imperare, nihil impedientibus, his, ad quæ illi prouocant, priuilegijs, aut pactionibus. ſanè, quia Principem locum in republica nunc habet, quam cum maxime, antiquiſſima illorum hæreſis, qui vnum illud fixum ſtatutumque habent,

Quicquid dicunt laudo. id rursũ ſi negãt, laudo id quoque.
Negat, quis nego. poſtremo imperaui ego met mihi,
Omnia aſſentari. is quæſtus nunc eſt multo vberrimus.

* Matute pag. 9.

iuſſum ſimul, ac factum, capita conferunt. mirum dictu, * veluti conſulta tripode diuinitus afflati, in eandem omnes ſententiam ijſdem notis, ſillabis, punctis, tribus verbis venere, cenſere ſe recte, & ex ordine de conſilij ſententia vectigal Mamertinis imperari poſſe. Hic vero Prætor æquus & ſapiens eos primum ab ingenij felicitate non vulgariter laudare, impendio prædicare, optimos fideleſque reipubl. adminiſtros appellare. Vos enim, ait, implicatiſſimarum quæſtionum ambages, controuerſiarum anfra-

ctus

ctus vno die, quod quidem optare ego votis numquam ſum auſus, non tàm explicaſtis, quàm reciciſtis. conſultos enim * à me ix. Kalend. Auguſti ſub veſperum memini, vij. verò Kalend. eaſdem prima luce veſtram ad me ſententiam detuliſtis. &, quod caput eſt, nullis euolutis libris. quippe inſtructiſſimas veſtras bibliothecas * Panhormi dominorum reditum anxie cupideque expectare ſat ſcio. quãquam id quoque exiſtimare, ſuperfluum, vel etiam iniurium fuerit, librorum adiumenta quærenda vobis fuiſſe, quos verius animatas bibliothecas, & obambulantia muſæa rectius appellauerim. Deinde vbi animaduertit ſe, quamuis in litteris non multum operæ poſuiſſet, tridui tamen vſu & experimento Iuriſconſultum factum, & conſiliarios ac præſcriptores ſuos in ſuam perduxiſſe ſententiam, facile ſibi perſuaſit, vno ſe verbulo Mamertinos etiam ad ingenium pertracturum. Viderat fortaſſe, cum in Belgio fuit, vetuſtiſſimam aliquam Ogmij * Herculis imaginem, qua ille leonino amictus tergore, clauam dextra, ſiniſtra arcum tenens, pharetram humero geſtans, confertam hominum multitudinem auribus omnes vinctos, tenuibus quibuſdam aureis catenulis è lingua promanantibus trahere fingitur. haud incongruo parallello raciocinabatur, ſe nouum Herculem Belgarum monſtra ſuperaſſe, ex iiſque opima tuliſſe ſpolia: illud vnum ſupereſſe, ſi vel ſola oratione populorum animos deuincire poſſet. Itaque Senatores accerſiri iubet, eoſque leniſſima elaboratiſſimaque oratione in ſententiam pellicere conatur. Hi qui lupum, quod aiunt, auribus tenere ſe intelligerent, primo temporum iniquitatem proponere, rei nummariæ inopiam obtendere. tum mores atque inſtituta ciuitatis recitare, quibus optimi Principes liberaliſſimam munerum vacationem Mamertinis condonarant. Verum ne * communibus Siculorum officijs ipſi ſoli deeſſent, præſto ſe eſſe, triplicem eiuſce rei conficiendæ iniri poſſe rationem. ſi vel tranſlato in rem ciuitatis vectigali, quod à Prætore imperandum erat, ſexcenta nummum millia, vel eo penitus abrogato, ducenta Regis ærario à Meſſanenſibus inferrentur, vel demum, ſi dum de ea re ad ſupremum Italiæ Senatum referatur, centum & quinquaginta millia ſoluerentur, qui ſi vectigal rite imperatum eſſe cenſuerit, parendum iudicato

* Matute pag. 9.

* Matute pag. 81.

* Girald. de Dijs gent. ſintag. 10.

* Matute pag. 56.

ſit, ſin minus tantumdem ſemel penderetur, vtram ex ijs cōditionibus ferre Prætor malit, eam ſe quam optima fide præſtaturos ſpondent. Verum ille cauſari, multaque prætexere argumenta, quibus oſtendere conabatur, nihil horum ex re Mamertinorum eſſe, (Patroclum ſcilicet obtendebat) illud vnum ſupereſſe, ſi ſuo arbitrio rem omnem permitterent. ſi ſponte onus acciperent, quod externis præſertim hominibus ſubeundum eſſet. hortari illos, ne conſilijs ſuis obſiſterent, à quo multa cum publicè cum priuatim ornamenta haberent, & accepturi ſint. ſingulos deinde contentius orare, obteſtari, ne in aliorum ſententiam tranſirent. Demum vt nihil ſuadam illam ſuam proficere; & ſe, minus quam putauerat, ſuauiloquentem eſſe animaduertit, alteram Herculis perſonam gerendam ratus, veluti ſi cum Lernea Hydra pugnandum eſſet, Leonis pellem induit, arcum, ignem, clauam manu arripit, dies noctesque militares Vegetij præceptiones euoluit, animum pacis artibus non tàm emollitum, quàm in calamitoſorum hominum ſanguine miſerijsque, vmbratili veluti pugna excitatum, ad belli ſtudia reuocat, delectum habet, peditem, equitem in armis, in exercitatione, diſciplinaque continet, ſpeculatores, qui ciuium animos explorent, ampliſſimis præmijs inuitat. tandem vbi iam ſatis præſidij in armis eſſe ſenſit, rem ipſam adgreditur. Ediuit itaque argenteum nummum in ſingulas ſerici libras imperare ſe ijs, qui merces eas efferri Meſſana velint. id, ſi quis ſciens volensque quominus ſoluatur dolo malo fecerit, eius ſe nomen inter reos recepturum ſpondet, iudiciumque ex eo capite daturum, reſque ipſas committi decernit. Scripta lex ita diligenter, vt eum ſpripſiſſe appareat, qui alia vectigalia non haberet, ita acute, vt Hiſpanoſiculum, ita ſeuere, vt inimicum. Senatores, qui magiſtratum illum non datum ſibi ſed creditum atque commiſſum arbitrarentur, qui officiorum omnium religione ſe obſtringi intelligerent, ne reipublicæ cauſam ac dignitatem perditum iri paterentur, cum reliquis ad eam rem deſtituti eſſent remedijs, legi atque edicto Prætoris more inſtitutoque maiorum intercedunt. Cauſa ipſa cum ad ordinarios vrbis iudices delata eſſet, quibus earum rerum cognitio Philippi II. Regis edicto demandatur, hique viros primarios atque ampliſſimos

ampliſſimos

pliſſimos ciuitatis pene omnes in conſilium aduocaſſent, ac maturè rem omnem cognouiſſent, tandem ex ſuperiori loco pronunciant, legem illam cum more maiorum, cum Regum priuilegijs pugnare, atque adeo ſupremum ea de re Senatum conſulere ſe velle. Tum verò indignari Prætor, excandeſcere, in iras concedere.

*Nam * face ſuppoſita feruescit ſanguis & ira,* * Perſius ſat. 3.
Scintillant oculi, dicitque, facitque, quod ipſe
Non ſani eſſe hominis non ſanus iuret Oreſtes.

frequentiſſima illa in ore vox. nec meum imperium? age, mitto imperium, non ſimultatem meam revereri? ſaltem non pudere? ò facinus audax. Statim itaque Panhormo, qua in vrbe ſe inter hæc continuerat, volatica illa tempeſtas, fulguris inſtar, Meſſanam aduolat. Iudices primum, qui ſententiam tulerant, in Mylenſes latomias fœdiſſimas teterrimaſque ablegari iubet, eos in ſqualore, in tenebris, in ſordibus poſitos adeundi ſeueriori interdicto vxoribus, filijs, coniunctis omnibus facultatem adimit, cuſtodiarum onere ac ſumptu multat, qui vel octauo die Craſſi opes abſumeret. Deinde Senatores ſingulos adit, arte, vi, metu, imperio oppugnat. reſiſtitur. carceres exilia ſupplicia mortem, ni ab incepto ceſſent, denunciat, reclamatur. Quid multa? Iudices, iterum ac tertio lapidem omnem mouet, euocatos ſe vrbis magiſtratus circum omnia prouinciæ loca raptaturum, ſingillatim vnicuique calamitati fore ſe, vniuerſamque funditus ciuitatem euerſurum comminatur. Itaque tandem aliquando multis malis, magnoque metu victi omnes, vno excepto, Senatores Prætoris imperio tantiſper, dum iræ deferueant, parendum eſſe decreuere. reliquus erat alter, quem valere vnum ac ſapere pene ſolum, vſus docuit, quod de Tireſia Homerus * & de P. Scipione Cato * prædicare ſoliti. hunc, quod in iudicando, ſentiendoque nimium ſui iuris ſententiæque eſſe ſciret, maioribus ac firmioribus machinis oppugnandum ſtatuit. Domi igitur ſuæ diu incluſum detinet. quærit continuo an à ſententia decedere tandem aliquando velit. Reſpondet ille, ſe ſaluo iure reipublicæ, ſalua religione id facere non poſſe. Tum iſte. Quam mihi religionem, quam rempublicam narras? moriere virgis, ni ſententiam mutes. Ad hæc ille. Virgas quidem nobilem

* Odiſſ. K.
* Plutarch. in Apoph. Rom.

B 2 inge-

ingenuumque hominem non decere. quodcũque aliud equeſtris ordinis viro dignum ſupplicium ſe non deprecari. animum, quo ſolo liberi ſumus, nihil illius iniuriam æſtimare. Prætor commotus admodum perturbatuſque viri, & non noſtri ſæculi dicendi libertate, virgas altiori voce expedire lictorem, iubet. Ea vox. vt ab ijs fortaſſe, qui primi audierant, excepta eſt, ſenſim ſubinde emanauit in vulgus. Tum verò magno cum luctu ac gemitu ciuitatis, multis cum lacrymis & lamentatione virorum mulierumque omnium priuatæ domus occluduntur, fora deſtituuntur. neminem Meſſanæ repertum eſſe ſcitote, neque liberum, neque ſeruũ, neque aduenam aut peregrinum, qui optimi nobiliſſimique hominis caſu non ſummopere commoueretur. demum omnes, quod eos tum viri dignitas tum iniuriæ magnitudo afficeret, frequentiſſimi ſed inermes in Regiam concurrunt, aream implent, lacrymis ſaltem priuatam publicamque cauſam deprecaturi. At enim ſapientiſſimus Imperator, qui ciuilis prudentiæ neruos omnes teneret, concitatæ, vt putabat, multitudinis impetum mora potius & perleui declinatione flectendam ratus, quam aut prætorio imperio, aut militari manu ſubito ferociterque frangendam, in naues, quæ in portu erant, ſecedit, ijſque ſapienti conſilio tumultuarium diſceſſum in ſpeciem imperat. Tum vero Senatores, optimates nobiliſſimus quiſque in prætoriam nauim accurrunt. Prætorem hortantur, orant, ne animum deſpondeat, Regiam domum redeat, oppidum luſtret, &, qua ante ſolitus erat, alacritate percurrat. tuta omnia ab armis, tuta à tumultu. ne gladij quidem aciem in tanto animorum ſenſu viſam eſſe. Ijs conſilijs recreatus Prætor longo veluti poſtliminio redeuntem animum reſumit, tota vrbe ſpaciatur, pacatiſſimam, ſi vnquam antea, animaduertit. ſed paulo poſt iniuriam, quam accepiſſe ſibi videbatur, egregiè vlturus, Senatores omnes, quod ante erat comminatus, per vniuerſos Sicularum vrbium carceres cuſtodiaſque raptatos, Panhormum adduci iubet, quo loco multos iam dies in ergaſtulis in eum vſum tum primum exſtructis, in ſitu, in mœrore, in ſolitudine iacent, iacebuntque eo vſque dum veſtra ope, & conſilio medicinam eorum malis adhiberi non ſentient. veſtram fidem implorant, veſtra requirunt auxilia,

ōmnia ſua iura, commoda, ſpem, totam denique libertatem ac ſpiritum in veſtris ſententijs verſari arbitrantur.

¶ Vix ego hæc loqui deſieram; & ecce ſibi Accenſus nuncium ab Souenaxdo adeſſe ſignificat, obſtinateque congreſſum Iudicum poſtulare. atque illi quidem, Per nos licet, inquiunt. Tum vero hominem vidiſſes (monſtrum rectius dicerem) obſcura facie, perfricata fronte, nigricantibus oculis, canino rictu, pernicibus alis ſe efferentem, qualem denique Lucianus * depinxit, vt facilè ex corporis habitu Momum poſſes agnoſcere. illud ſolum acceſſerat, & fortaſſe itineris celeritatem retardauit, quod magnam librorum ſupellectilem humeris geſtabat. Is etiam num anhelans, Actum iam, inquit, Actum. & cum diu multumque vox faucibus hæreret, effare tandem, ait non nemo iudicum, quis, vnde, & cuius nam rei gratia. at ille, cum proiectis humi libris, ijſque aggeſtis in faciem ſedeculæ neſcio quid exſtruxiſſet

* Lucian. in dial. de hæreſibus.

placide volo acquieſcere, inquit.

Veſtra cauſa rupi ramices, iamdudum ſputo ſanguinem.

mox cum ſpiritum ampliorem collegiſſet, Actum iam de Mamertinis eſt Iudices, inquit, perditæ funditus res. bellum in Prætorem mouere conati ſunt, deficere ab imperio noſtro ac nomine voluerunt. circumſeſſus Prorex, ferro, manu, copijs oppugnatus. quominus violaretur, pedibus acceptum ferri. ni publicè ſatisfiat, & parentetur iniuriæ, ni ei ciuitati bellum inferatur, quid tandem erit imperij nomen & dignitas? Hic ſenex quidam interpellans (Dicarchum appellabant, quem ego ex conſeſſus ratione eius ordinis principem argumentabar) Ominare meliora, inquit, & portenta iſtiuſmodi auerruncent ſuperi. ſalua res eſt, Mome, & in portu nauigamus. vt iſtæ ſe res habuerint, oculatorum teſtium fide, nobiliſſimorum hominum litteris accepimus. an vero tu, ſi circumſeſſus à tam illuſtri ciuitate propter tuum ſcelus eſſes & amentiam, ſi coegiſſes homines miſeros & calamitoſos, quaſi deſperatis noſtris legibus ad vim, ad manus, & ad extrema illa confugere, quæ tu hic comminiſceris, ſi in oppidis amicorum, ſi apud exteras nationes imperij, nominiſque noſtri famam tuis probris, flagitijſque violaſſes, hic tibi perfugium, hic vindicandas iniurias arbitrarere?

trarere? an nos in eos homines animaduerteremus,qui grauius magiſtratus, vtcumque meriti,nomen quam eiuſdem iniurias exiſtimarunt? qui quamuis adeo inſignitam offenſionem acceperant, quam nulla lege ſatis digne perſequi poterant, tamen incommoda ſua noſtris committere legibus ac iudicijs,quam dolori ſuo permittere voluerunt? Qui per malos iudices & cruentos ſpoliati, (Saluiani * verbis vtar) afflicti, necati, poſtquam cum libertate etiam nominis honorem perdiderunt, imputatur his infelicitas ſua, imputamus nomen, quod ipſi fecimus, & vocamus rebelles, vocamus perditos, quos eſſe compulimus criminoſos. quibus enim alijs rebus ſeditioſi facti ſunt, niſi iniquitatibus noſtris? niſi improbitatibus iudicum? At, inquies, quod reipublicæ cauſa facerem,quod vectigal imperarem, quod minatus ſum, quod animaduerti. quæ ſi diceres, tamen ignoſci non oporteret,ſi nimis atrociter imperando in tantum periculum adducta res eſt. circumſeſſus es. à quibus? à Mamertinis. barbaris, credo, hominibus, aut qui noſtri imperij nomen odiſſent. imo verò ab hominibus & natura & conſuetudine diſciplinaque leniſſimis, vt perſpicuum ſit omnibus, niſi tanta acerbitas iniuriæ fuiſſet, numquam Mamertinos eo progreſſuros fuiſſe, vt id dedecori tibi eſſe poſſet. Hoc loco Momus. At enim iure, inquit, vectigal indictum eſt, iure in Iudices, in Senatores animaduerſum. Imo ſumma,inquam ego, iniuria hæc, quæ dicis. facta ſpondeo. Momus vero in me reſpiciens, Quid tu hominis es, inquit, quo ore, qua facie, in ampliſſimum hunc conuentum clanculum irrepſiſti. Eodem quo tu prorſus, inquam,& fortaſſe æquiori iure. Genius Meſſanæ ſum, qui publicas querelas, quod per tuorum artes, diligentiam, iniuriam iamdudum prohibemur, ad ſummum Senatum defero. & ille. Id quidem nihil admiror, inquit. Querulos enim natura Siculos eſſe, perantiqua gentis laus eſt, vt quidam, ſcribit. ſed hi commentarij, qui clariſſimorum ingenio & dignitate hominum reſponſa ſunt, ad Cleanthis lucernam lucubrata, animos mihi faciunt, vt querelas tuas iſtas nihili æſtimem. Viden, vt præclarè deſcripti, vt pulcherrimæ in ſpeciem depicti apices, vt veluti teſſellati operis varietate animos delectant. ipſa voluminum inuolucra aureo illo fulgore quam lepide

* *Lib. 5. de prouident.*

Caſſiodor. lib. 1. ep 3.

oculos

oculos afficiunt. Quid tu tandem, aut Mamertini tui afferre ſimile vnquam poterunt. Ita vero, inquam ego, & cum Lucilio dicam,

Quam lepidæ lexeis, compoſitæ,vt teſſerulæ omnes,
Arte pauimento atque emblemmate vermiculato.

Tum Ariſtobolus, ſedebat hic à Dicarcho tertius, Ecqui vero authores ſunt inquit. & Momus. Haud quidem ignoti vobis homines Matute, Corſettus, Neapoli, nempe iuris ſcripti, non ſcripti,ac ſi quod aliud eſt conſultiſſimi. Quorum priores duo multorum inſtar erunt, non eſt quod ab ijs politicas diſceptationes deſideres, quas neque Macchiauellus diſciplinæ artifex diſtinctius, accuratiuſuè explicare poſſet. non hiſtoricas. hiſtorias enim cum nutricis lacte videntur imbibiſſe, vt minus mirum ſit,illos modo nil niſi Liuios,Halicarnaſſæos, Polibios, Tacitos euomere. Quæ tu mihi, inquit Dicarchus, hiſtorica narras? num deſertores vel tranſfugæ hi ſunt,qui ex iuris prudentiæ caſtris ad Hiſtoricos ſeceſſerint? an tu ex ea re laudem his te comparaturum exiſtimas, qua vna ſe grauiſſimæ culpæ, modo per veterem ac iamdiu receptam noſtri Ordinis ſeueritatem liceat, affines ſentient. Momus vero nihil, inquit, eſt, quod notam hanc pertimeſcant. etenim horum alter, quod non per prolixum tempus ſed nouendio * tantum inter Hiſtoricos ſit euagatus Emanſor quam Deſertor * appellari debet,atque adeo, vel ſi veſtrorum iudiciorum acerbitatem maximè retinere placeat, leuiuſcule erit puniendus. alter verò in ipſo commentarij ſui calce perquam egregiè ſuam cauſam agit. * *Et ſi enim inquit mirabitur fortaſſe quiſpiam, eum qui à iuuentute iuris vtriuſque laboribus incubuit, hiſtoriæ nedum rudimenta ſenectutem ingreſſum affectaſſe, ego autem non ab re, quod cauſæ inſeruire potuit, in medium deduxiſſe iudicaui. cum id ſolum iudicari verecundum debeat viro nobili, & in litterarum ſtudijs exercitato, ius, in quo verſatur, ignorare. rerum ergo radicitus notitiam deducere, & neceſſarium duxi & honorificum. Vtinam Bolognetus veram notitiam antiquitatis habuiſſet, vt ſecus pronunciaſſet. nos, prout exhauriuimus, aquam non turbidam, ſed lucidiſſimam analium credimus præſtitiſſe.* Quid in hanc ſententiam aptius, quid luculentius dicere Romanæ eloquentiæ

** Corſettus pag. 119.*
** l. 3. ff de re militari.*
** Matute pag. 55.*

tiæ

tiæ magiſter potuiſſet? ex ea vna clauſula, velut ex veſtigio Herculem, quantus quantus in reliquo opere futurus ſit etiam me tacente, animaduertis. Atque hæc quidem ius eſt mutæ illius eloquentiæ. Quid ſi, quod de Demoſthene olim Aeſchines dixiſſe ad Rhodios fertur, ipſam ſuo ore declamantem audiſſetis? ſubriſit hoc loco quidam è iudicibus, Sophronius is dicebatur, &, Cedo mihi, inquit, authorem illum alterum. hunc enim vno hauſtu ebibi. Corſettum ne, inquit Momus. cumque ille ſigno annuiſſet, vix vnam & alteram pagellam legerat. At qui ego, inquit, crimen aliud non paulo leuius deprehendere hic videor. Quid tandem Momus inquit. & ille. An non vero agnoſcis Vincentij Littaræ, bone Deus quem virum, auguſtiſſimam orationem, quam puerulis nobis de Panhormitanæ eccleſiæ primatu, & dignitate ſcripſit? ſcilicet memini earum me rerum, quæ toto operi adſutæ, ſexcenta & eo amplius illo ſuggerente dictata excepiſſe. & hercle dici vix poteſt, qua oris habitudine, qua energia, qua firmitate laterum & dictare ſolitus erat, adeò quicquid virium, quicquid ingenij, quicquid ſtudij cur ille habuit, (maximus certe inter æui ſui patellarios Deos fuit) commentatio illa & lucubratio penitus exhauſit. eius ego ſtilum, dictionem, ordinem, ingenium in his ſcriptitationibus de facie quaſi mihi videor agnoſcere. vt palam ſit, nihil minus iſtos curaſſe, quam ne manifeſti furti tenerentur. an quod more hominum faciant, qui in vlciſcendis vitijs acerrimi ſunt, quibus ipſi vehementer indulgent? Me verò, inquit Polignotus, vnus hic erat è ſenatu illo, politicæ diſputationes maximè delectant. à quibus inſtructiſſimum ſe vterque ex his probat. & ſanè mirum eſt, vt acutè omnia diſernunt, penitiſſimè introſpiciunt, vt in adminiſtranda ſicula re aptè egregieque qua ſaniora conſilia adhibent, qua ſuperflua damnoſaque reſecant. ſcilicet

ſine ſuffragio populi,
Tamen ædilitatem hi quidem gerunt.

Illud ſummopere inter cætera placet, quod ſortiendi iudices qui inter prouinciales homines ius dicant, poteſtatem integram nobis adiudicant; odioſamque legem illam abrogant, qua digniores ex prouincialibus renunciare iudices iubemur. Etenim cum reliquæ dignitates diuiſæ inter Siculos &

Hiſpanos ex æquo ſint, cur non idem ius in ſortitione iudicum ſeruandum? præſertim cum ab Hiſpanis, externis ſcilicet, & nullarum partium hominibus, ſanctiora purioraque iudicia expectari iure ac merito debeant. At mihi, inquit hic quidam, qui Ariſtoboli latus claudebat, Critico illi nomen erat, horum alter multiſſimis locis videtur ineptire. Lubet hic verbo iſto ea notione vti, qua Craſſus vtebatur; qui in petendis Romæ magiſtratibus, cum multa à candidatis in campo inepte & præter dignitatem fierent, dicerenturque, hos prenſando, illis dextram porrigendo, iſtos nominatim appellando patres, fratres, natos, omnibus demum præter decorum adulando; eos Craſſus ineptire dicebat. ex eadem iſte diſciplina, veluti ſi in ſingulas pagellas nomenclator in aurem inſuſurret, quos non homines, notos, ignotos, doctos, indoctos, ſuo quemque nomine, appellat, laudat, cœlo infert? Et quidem hoc genus vitij, neſcio quo malo, è campo in libros tranſijt. qui potiſſimum ſordidis huiuſmodi laudationibus ſcatent. hinc frequentiſſimæ illæ Iuriſconſultorum etiam cum honoris præfatione commemorationes, magiſtratuum, amicorum, patronorum nuncupationes. expecto iam, ſi Dijs placet, dum & tonſores, ſutoreſque ſuos, quibus domeſticis vtuntur, ſcriptis ſuis æternitati commendent. quid quod obſcuritatem quoque affectaſſe non nihil videtur? an Ariſtotelaco exemplo? vt ne in reconditæ ſapientiæ arcana ſine vllo delectu paſſim ignauiſſimi quique aditum ſperare poſſent. vt ſoloccos præteream, barbariſmos, inextricaboles parentheſes, quas neque Theſei filum in viam reduxerit. quamquam hæc non tam hominum vitia quam diſciplinæ eſſe hoc ſæculo videntur, nec iam Iuriſconſultorum numero cenſeri is poſſit, qui non cum ſermonis elegantia, cultum omnem ingenij dediſcat, quaſi non aliter hæc ſacra, quam barbaro dicendi ac ſcribendi genere conſtare poſſint. Interim verò, cum inter ſe hæc illi conferrent, ſubtriſtari Momus, & non mediocriter indignari, demum, ſed agedum quid tandem intereſt inquit Barbarene an Latine aduocati ſcribant. Illud potius inſpiciendum ſentio, num prouinciam, quam gerendam ſuſcepere, recte & ex ordine adminiſtrent. nam quid rei illis, obſecro, cum ſermonis elegantia, quid cum Muſis, quid cum humanioribus

 bus

bus litteris commercij eſt. Aeque illis placet guerra ac bellum. & non minus treuga, laudum, bannum, retorquutio, quam delicatulis iſtis Latinæ puritatis aſſertoribus bellum, induciæ, arbitrium, proſcriptio, relatio. Apage ſermonis iſtas lautitias. ſecundarius hic panis imo & tertius nos eximie delectat. ſcilicet ſordida iſta, quæ appellant, & de triuio verba, vel ab tonſtrinis petita. quæ tamen neſcio quid occultæ virtutis habent, pecunias omnes toto orbe terrarum leuiſſime corradunt, fori reges illos faciunt, vſque adeo exleges, vt, quemadmodum neſcio quis ex iſtis litterionibus non inurbane dixit, illis ſolis in ipſo foro, in quo ius dicunt, liceat impune latrocinium facere. Itaque, vt pro animi mei ſenſu loquar, verborum nullam rationem habendam cenſeo, dum rerum ſenſa aſſequamur. Ad hæc Dicarchus, Non omnino ſtulte raciocinaris Mome vt huius temporis mores ferunt. ſed iam congrediendi tempus inſtat. Igitur cum totam tractationem hanc (quod curſim legens animaduerti) patroni tui in duas partes diſtribuerint, primam, an conſtet vera eſſe ea priuilegia, quibus Mamertini immunitatem ſuam probant, alteram, an, vt maxime vera ſint, impedimento ſint, quominus ijs vectigal imperari poſſit, poſteriorem hanc, quæ tota ex iuris ciuilis ſcientia pendet, patere priuatim apud nos cognoſci ac diſcuti: de altera, ſi placet, te cum Genio diſceptantem audiemus. Tum Momus, Illud etiam me à vobis impetrare æquiſſimum cenſeo, vt cum prior Genius me in arenam prouocauerit, prior is, ſi quid habet, de tota cauſa dicat, tum ego ſuis occurram locis. Accipio conditionem, inquam hic ego, minus æquam licet. Indignum enim Cicero * exiſtimat, eum, qui caput alterius, famam, fortunaſque defendat, priori loco cauſam dicere. ſed ne mihi vno eodemque tempore cum tribus hiſce patronis tuis pugnandum ſit, vide ſis, vt ordine, quæcumque illi nobis obijciunt, proponas. quod ſi ita e re tua eſſe ſenſeris, facile etiam concedo, vt de ſcripto recites. Age itaque iam manus conſeramus.

* *In orat. pro Quinctio.*

¶ Et quia totius diſputationis cardo & ſumma in eo poſitus eſt, ſi doceam vera eſſe, quæ à noſtris proferuntur priuilegia, tum à populo Romano, tum ab Imperatoribus ac Regibus conceſſa, animaduerte obſecro, & ad antiquitatem

cogita-

cogitationem reuoca. ſane obſeruabis Mamertinorum fidem, operam, merita in ſuos vel ſocios vel Reges, cum in bello tum in pace, & rebus ipſis illuſtria, & ad poſteritatis memoriam præclariſſima fuiſſe. Et ne ea, quæ dicenda mihi ſunt, reuocari in dubium à te poſſint, ſingula ex puriſſimis hiſtoriæ fontibus, clariſſimiſque monumentis atteſtata, conſignataque antiquitatis, totidem, vt aiunt, verbis afferam, ac de meo quippiam ſuperaddere, vel non optima fide repræſentare, vel plus iuſto prædicare videar. Repueraſcere tu me vis, inquit Momus, & denuo vagire in cunis, vt antiquiſſima illa Saturni tempora non iniucunde ſomniem. Chamo aures mihi obtundes creatore vrbis, vel Zaneloto, vel Orione, quando neque inter ipſos Mamertinos conſtat, quis oppidi author fuerit. Scythen memorabis, Cadmum, Anaxilam, ac reliquos eius æui fuliginoſos Heroas. at qui, ſi ſapis Geni, nullam mihi fabulam obtrudes, qui ſcias me antiquiſſimum Noctis & Somni * filium eſſe, & cum ipſis magnis Dijs ortum. te verò multis poſt ſæculis, credo tribus millibus quadringentis plus minus poſt orbem conditum annis, cum tuo oppido lucem vidiſſe; tum cum Zaneloto apud vos regnante Orion vrbem condidit. Quare id primum moneo, non te ſurdo aut puero fabulam narrare. Tum ego. Nimis enim vero propere dicaculus es Mome, inquam, & quia nihil mihi hic de Zanclæ origine & antiquitate diſſerendum eſſe video, id enim à propoſita quæſtione ſatis alienum eſt, ad rem ipſam propero. ſed ne longe nimium orationem repetam, Romanos, obſecro, primo loco conſideremus. certe magnam coniunctiſſimamque cum eo populo neceſſitudinem Mamertinis fuiſſe, animaduertes. Ac primum antiquiſſimo fœdere & ſocietate multo ante bella Punica coniunctos fuiſſe, argumento illud eſt, quod Scipio Annibalem alloquens dixit. *Neque patres noſtri priores de Sicilia, neque nos de Hiſpania bellum fecimus, & tunc Mamertinorum SOCIORVM periculum, & nunc Saguntinorum excidium nobis pia & iuſta arma induerunt.* Florus verò cauſas belli Punici recenſens. *Nec, inquit, occaſio defuit, cum de Poenorum impotentia FOEDERATA ciuitas Meſſana quereretur. affectabat enim vt Poenus, ita Romanus Siciliam, & eodem vterque tempore votis ac viri-*

* *Heſiodus in Theogon.*

bus imperium orbis ambiebat. Igitur ſpecie quidem iuuandi SOCIOS, re autem vera ſollicitante præda. Quod ſi paulo curioſius eius fœderis initia libeat inquirere, ea, niſi me coniectura fallit, in Tarentino bello reperiemus. cuius rei Zonaras * fortaſſe non indignus erit, quem authorem ſequamur. *Tarentinis ait bello ſubactis Romani Rhegium inuaſerunt, quod Crotonem proditione captam euertiſſent & Romanos vrbe deprehenſos occidiſſent Mamertinos Meſſanæ habitatores pactione obſtrinxerunt.* qui locus manifeſto de fœdere eſt intelligendus. pactionem enim non niſi fœdus eſſe, inferius in loco demonſtrabo. Et verò Mamertini non fœderati modo, ac ſocij, ſed cognati etiam populi Romani appellati ſunt. Polibium * audiamus. *Plerique Mamertinorum ad Carthaginienſes confugerunt eiſque ſe & arcem dediderunt alij ad Romanos legatione miſſa ciuitatem illis tradunt præſidiumque velut AB EIVSDEM GENERIS HOMINIBVS poſtulant.* Caſaubonus verò ita legit. *pars miſſis ad populum Romanum legatis vrbem ei dedere vtque ſibi iam ORIGINIS COMMVNIONE IVNCTIS opem ferat petere.* confirmat etiam ijs verbis. Zonaras. *Mamertini qui tum ab Hierone obſidebantur opem Romanorum vt quos COGNATIONE attingerent implorabant.*

* tomo 2.

* lib. 1.

¶ His longe maiora, & præclariora teſtimonia adducam Mome, & quæ aliquibus minus credibilia videri poſſent, ni antiquiſſimis & probatiſſimis authoribus forent aſſerta. Iſtuc verò, inquit ille, vobis facillimum & ſolemne eſt. qui inſtructiſſimas domi habetis bibliothecas reconditorum authorum, Græcorum tamen hominum, vt inde fidem dimetiaris, qui Conſtantini Laſcarij manes pie colitis, optime meriti de vobis viri. ſcilicet ex veſtris hiſce grammatophilacijs numquam non aliquis id genus author prodit, qui minime viſam antea lucem tum primum aſpiciat. Ad hæc ego. Vide ſis Mome, an ex vſu tuo ſit, eorum authorum fidem ſuſpectam velle reddere, qui apud noſtras bibliothecas religioſe ſeruantur, qui niſi fuiſſent Agatha nobiliſſima illa Virgo, alterum Siciliæ ſydus, Catanenſis etiam num audiret, non Panhormitana. quamquam id tum fatum Catanæ eſt, vt illuſtres ſeu pietate, ſeu litteris viros, non ſibi ſed alijs

Littera pagin. 94.

Siciliæ

Siciliæ ciuitatibus pariat, nam Anapim & Amphinomum pios illos fratres, qui ex Aetneis flammis ſublatos parentes illæſi humeris euexere, Syracuſæ ſibi vendicant: Nicolaum Tudeſcum, clariſſimum iuris Pontificij lumen, Panhormitani ſua ciuitate donarunt; tum horum ſtudio induſtriaque contingit, qui cum nullo pene ciue gloriari poſſint, qui patriæ nomen extulerit, alienos veluti partus ſibi ſupponunt; * eoſque vti proprios venditant. quod ſi ſuos quæque vrbs populares lege Mutia repetat, nę illud commode dici poterit,

moueat cornicula riſum
Furtiuis nudata coloribus.

Sed haud multum hæc mihi curæ fuerint. quæcumque enim ſit tua de noſtris Scriptoribus ſententia, an ne eadem nota dignus tibi videtur Eumenius antiquiſſimus Rhetor, cuius duo Panegirici doctorum hominum manuteruntur? Is in eo, quem ad Conſtantinum Auguſtum dixit Flauienſium Heduorum nomine, hos laudaturus ita habet. *Fuit olim Saguntus foederata Romanis. ſed tum, cum tædio belli Punici nouare bellum omnis cuperet Hiſpania. fuit amica Maſſilia. protegi ſe Romana maieſtate gratulabatur. Imputauere ſe origine fabuloſa in Sicilia Mamertini, in Aſia Ilienſes. ſoli Hedui non metu territi, non adulatione compulſi, ſed ingenua ac ſimplici charitate* F R A T R E S P O P V L I R O M A N I *crediti ſunt, appellarique meruerunt.* In quo Eumenij teſtimonio quid primum, quid vltimum ſuſpiciam vix intelligo. Nam ſi populorum nomina conſiderem, inter quos ſit contentio, quid noſtris glorioſius, quid ad dignitatem illuſtrius contingere potuit, quam in hæc paria nobiliſſimarum gentium referri, in quibus non ſplendorem originis deſideres, non vrbium dignitatem, atque amplitudinem, non fortia bello pectora, non ſpectatiſſima in populum Romanum officia. ſi neceſſitudinis vinculum perpendas, vni tantum parentum nomini fraterni affectus concedunt, reliqui ſane longo interuallo infra hos erunt. Subriſit hic Momus, &. Hinc lacrymæ illæ, inquit. ſcilicet innata populo virtus, ad arma facilis, flecti neſcia, libertatis imperijque auida, alieni appetens ex illa populi Romani fraternitate originem ducunt. ſed qua ratione fratres, ediſſere, obſecro:

* *Vide Philipp. Ferrar. in catalogo Sanctorum Italiæ 28. Martij de S. Conone. 10. Maij de S. Chriſtina 10. Nouembris de S. Nimpha.*

num

num Mamertini cum Remo ac Romulo vno partu editi? an, quod vtrique communem patrem Martem appellant? naturalem iſti, illi adoptiuum? Neque enim vereor, vt à Siculis cognationem illam trahas, qui primi Romam incoluere; nam ſi eo rei originem referas, non magis Mamertini Romanorum fratres fuerint, quam qui Occhiulam vel Palaconiam incolunt. In numerato eſt, quod optas, Mome, inquam ego, nec longe abiero. Liuineius * enim locum iſtum Eumenij explicans, hæc fere habet. *De Mamertinis ait Strabo, gentem eſſe Campanam. & ab eadem mente ſcriptum Sillij lib.* 14.

* In notis ad authores Panegiricorum n. 180.

Incumbens Meſſana freto, minimumque reuulſa,
Diſcreta Italia, atque Oſco memorabilis ortu.

nam Oſci in Campanis. atque hæc clara. illud obſcurum, quæ origo illa fabuloſa, quam Romanis imputarint. ſi Eumenium capio, hoc ſenſerit. geſſiſſe ſe Mamertinos, itidem vt Ilicates, pro Romani generis authoribus. ac de Ilienſibus nota res paſſim è Poetis, quos nihil attinet, proferre. & poſt pauca. *De Mamertinis quod huc proxime faciat Polibyus lib.* 1. *Partim, ait, legatos Romam mittere, vrbem cedere, & obteſtari, venirent ſibi ſuppetias, quos genere & cognatione contingerent. Opinor per Capim Troianum. qui è ducibus Aenea in Italiam. Virgil. lib.* 10.

Affuit & Mneſtheus, quem pulſi gloria Turni
Aggere murorum ſublimem gloria tollit,
Et Capis. hinc nomen Campana ducitur vrbi.

Decius verò Magius apud Sillium XI. originem vrbis à Capi reperit, qui Aſſaraco prognatus. verba hæc ſunt,

ille
Dardanius, cui ſacra pater eui nomina liquit
A Ioue dicta Capis, magno cognatus Iulo.

Veriſimile eſt autem non Capuates modo, ſed omnino omnes Campanos Capi ſe parente oſtentaſſe. merito ergo per Capim Mamertini ſe in Romanorum parentibus numerant Hæc Liuineius. Hoc loco Momus: Auriculam tibi vellerem, inquit, Geni, niſi populi Romani nominis ac dignitatis in fraterculi offenſa rationem haberem. noui enim, quam facilis in captanda rixarum occaſione populus ille fuerit. an verò tibi exciderunt, quæ colophonis loco, his quæ proferebas,

Liuine-

Liuineius adiecit. ita enim concludit. *merito ergo Mamertini ſe in Romanorum parentibus numerant Ilienſibus pares, ſed fabuloſa origine, vt inquit author.* credo illud fabuloſa ſtomachum tibi mouet. Dicarchus ad hæc, Arrige aures Geni, inquit. iugulum enim petit ictus iſte. Et hoc ipſum, inquam tum ego, de quo triumphas Mome, quanti faciendum ſit, in loco expendam. interim ad Liuineium redeo, qui eius vt vides ſententiæ author fuit. Alia certe Ludouico Arioſto mens fuit in deducenda iſta Meſſanenſium atque Ilienſium cum Romanis neceſſitudine ac fraternitate. ſcilicet Aſtianactem inducit Hectoris filium Meſſanæ imperium olim tenuiſſe. huius deinde poſteros, eum Romam tranſmiſiſſent, principem locum inter vrbis familias habuiſſe, verba hæc ſunt. *

Ruggiero incominciò, che da Troiani
Per la linea d'Ettorre erano ſceſi,
Che poiche Aſtianatte dalle mani
Campò d'Vliſſe, e da gl'aguati teſi,
Hauendo vn de' fanciulli coetani
Per lui laſciato, vſci da quei paeſi,
E dopo vn lungo errar per la marina
Venne in Sicilia, e dominò Meſſina.
I diſcendenti ſuoi di qua dal Faro
Signoreggiar della Calabria parte,
E dopò piu ſucceſſioni andaro
Ad habitar nella città di Marte,
Più d'vno Imperatore, e Rè preclaro
Fù di quel ſangue in Roma, e in altra parte,
Cominciando à Conſtante, e Coſtantino
Sino à Rè Carlo figlio di Pipino.

* *lib. 36. ſtropha 72.*

¶ Non ignoro Arioſtum ſuo illi amatorio poemati fere innumeras fabellas miſcuiſſe. ſed neque mihi quiſquam negauerit, plures quoque veras hiſtorias illum attigiſſe, quamuis poeticis fictionibus inuolutas. quocirca facillime ſuſpicor, Poetam cum in Eumenium aut illi ſimilem antiquum Scriptorem incidiſſet, qui Mamertinorum & Romanorum fraternitatis meminiſſet, eam narrationem huiuſmodi commento ac velamine adornaſſe. Verum ſi in re vetuſtiſſima coniecturis locus eſt aliquis, duplici ac diuerſa ratione cognatio

gnatio iſta deduci poſſe mihi videtur. Primùm conſtat apud omnes, Mamertinos Gentem Oſcam * fuiſſe, vnde & Sillius Oſco nomine eos celebret. nomen quoque ipſum id oſtendit. inde enim Mamertini Feſto dicti, * quod in aſſumendo gentis cognomine, cura inter ſe diſceptarent, collectis in vrna duodecim Deorum nominibus, Mars ſortito obtigit, qui Oſcorum lingua Mamers dicebatur. Si recte memini, interpellans Momus hic, Oſci hi illi ſunt, quos non alio nomine celebriores, quam hiſtrionico Strabo * ſcripſit, quod ſcænis ac pulpitis mire apti eſſent: quibus & Atellanas fabulas, quæ in prouerbio ſunt, acceptas ferimus. & ego. Non adeo impudens ſum, qui id negem Mome, ſed neque tamen tibi concedam, eo nomine reprehendendos illos fuiſſe, qui ſciam ad honeſta animi auocamenta fabulas inuentas eſſe Atellanas, atque adeo neutiquam inter viles & ſcænicas artes commemorari ſolitas. Inde illud Liuij. * *Quod genus ludorum tenuit iuuentus nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. eo inſtitutum manet, vt actores Atellanarum nec tribu moueantur, & ſtipendia tamquam expertes artis ludicræ faciant.* ſed ad rem redeo. Oſci cum finitimas Romano agro regiones tenuerint. Straboni, * & inter Latij populos numerati ſint, * veriſimile eſt eos, & origine & cognatione Romanis fuiſſe coniunctos, quod generatim de triginta Latini nominis populis paſſim Halicarnaſſæus * & Liuius * teſtantur. Id etiam eo ſuadetur, quod Latina lingua magna ſui parte ex Oſca originem ducit, Enniumque in ſuo poemate Oſce locutum ex Cicerone & Liuio Scriptores docent, quin Oſcis ſolis id obtigiſſe, vt cum ipſa gens defecerit, eorum tamen lingua ſalua Romanis manſerit, authores habeo Strabonem, * Volaterranum, * Crinitum, * & Hieronimum * Columnam. Altera cognationis huius deducendæ ratio paulo diſcrepat ab ea, quam Lipineius affert. cenſeo namque Campanos non modo ex Capi, quod ille exiſtimabat, conſanguineos fratreſque populi Romani dictos, ſed ex eo etiam, quod ob regionum affinitatem promiſcua ijs matrimonia fuere. quod nemo ignorat, qui Liuium * legerit, is de habitu animorum loquens, quo Campani poſt Cannenſem pugnam affecti in nomen Romanum erant, hæc habet, *Id modo erat in cauſa, ne exemplo deficerent, quod connu-*

bium

* Sillius libr.14. Volaterran. libr.6.
* Diodor. libr 21. c.13. Volater. l.c.
* lib. 5.
* lib. 7.
* lib. 5.
* Reuſnerus in deſcript. Italiæ lib. 1 Vinand. in Faſtis anno 150. Sigon. de Iure Italiæ lib. 1. c. 3. & 7.
* lib.1.
* lib.8.
* lib.5.
* lib.6.
* De honeſta diſcipl. lib.3. c. 3.
* In notis ad Ennium in vita eiuſdem.
* lib.22.

bium vetuſtum multas familias potentes & claras Romanis miſcuerat, & quod cum militarent aliqui apud Romanos, maximum vinculum erant trecenti equites, nobiliſſimus quiſque Campancrum in præſidia Sicularum vrbium delecti ab Romanis ac miſſi. & non multo poſt, Decius Magius, qui totus à Romanis erat, Campanos populares ſuos hortatur, *ne præſidium Annibalis recipiant, vel vt receptum eijciant, aut ſi malum facinus, quod à vetuſtiſſimis ſocijs conſanguineiſque defeciſſent, forti ac memorabili facinore purgare vellent, vt interfecto Punico præſidio, reſtituerent ſe Romanis*. Accedat id, quod Legatos Campanorum in Senatu dixiſſe, Liuius * narrat. *Paucos nobilium ſupereſſe, quos nec ſua conſcientia, vt grauius de ſe conſulerent, impulerit, nec victoris ira capite damnauerit. eos libertatem ſibi ac ſuis & bonorum aliquam partem orare. Ciuibus Romanis affinitatibus pleroſque & propinquos iam cognationibus ex connubio vetuſto iunctos*. id tandem Sigonius * agnoſcit, qui ex ea conſuetudine, Pacuuium Calatinum nobilem Campanum ex Appij Claudij viri conſularis filia liberos ſuſcepiſſe, & filiam Romæ nuptum M. Liuio triumphali viro dediſſe ſcribit. & verò Campani non modo conſanguinitate Ciues Romanos attingebant, ſed & ipſius quoque ciuitatis iura conſecuti ſunt. *Adijcite ad hæc, Varro ad Campanos dicebat*, * *quod foedus æquum dedimus, quod leges noſtras, quod ad extremum, id quod ante Cannenſem certe cladem maximum fuit, ciuitatem magnæ parti veſtrum dedimus*. Campanis enim equitibus, quod cum Latinis rebellare noluiſſent, ciuitatem ſine ſuffragio datam antea ſcripſerat, * inde verò multis poſt annis T. Veturio & Sp. Poſthumio Coſſ. Campanos vniuerſos in ciuitatem aſcitos prodidit Velleius. * vnde & Falerinam tribum à Campanis dictam Sigonius * cenſet, quod & Panuinio * quoque probatur. Non abludit, quod olim Regulus dicebat * *Per Senatum agi de Campanis, qui Ciues Romani ſunt, iniuſſu populi Romani non poſſe. iaque apud maiores noſtros in Sutrianis factum eſt, cum defeciſſet, vt M. Antiſtius Trib. Pl. prius rogationem ferret, ſciretque plebs, vt Senatui de Sutrianis dicendæ ſententiæ ius eſſet*. hoc tandem eſt, quod Campanos Romæ cenſitos fuiſſe Liuius * docet. Fit ex his, vt pedem referamus, Ma-

* lib. 26.
* De iure C. R. lib. 1. cap. 9.
* Apud Liuium li. 23.
* lib. 8.
* lib. 1.
* De iure Ital. lib. 1. cap. 3.
* In Ciuitate Romana tribu 38
* Apud Liui. lib 26.
* lib. 38.

mertinos, cum Campani fuerint, recte ſe conſanguineos cognatoſque & fratres populi Romani appellaſſe. Quid, inquit Hermeas, num ne oblitus es id, quod paulo ante dicebas, Geni, Mamertinos gentem Oſcam fuiſſe? qui fieri igitur potuit, vt ijdam Campani fuerint? Et ego. Nihil eſt, quod hæreas, Hermea. hæc enim minime inter ſe pugnare eruditi ſciunt. & ipſos enim Campanos Oſcos, & eorum metropolim Capuam Oſcam dictam ex Catone, Sempronio, & Strabone docent Albertus, * Reuſnerus, * & Vinandus. * Atque hinc conciliari facile poteſt antinomia illa, quam apud Scriptores oſtendimus. Etenim legionem, quæ Mamertinorum exemplo Rhegium occupauit, Campanorum militum fuiſſe, Epitome * Liuij ſcribit. Polibius * verò & Oroſius * Romanos fuiſſe, tradunt, quod & M. Valerius * Maximus ſenſiſſe viſus eſt, cum dicit. *Nihil profuiſſe M. Fuluij Tribuni pl. interceſſionem, ne in Ciues Romanos* (de Campana legione erat ſermo) *aduerſus morem maiorum ſæuiretur.* Eos nimirum Liuius Campanos appellauit, quod origine Campani fuerint, Polibius verò & Valerius Romanos, quod Romanam ciuitatem adepti. At enim, inquit Momus, Cornelium Tacitum * authorem habeo, ſolos Heduos Gallorum Fratres populi Romani appellatos. Caue igitur Geni, ne cum Tacito ſuſcipiendæ inimicitiæ tibi ſint, cuius in fidem omne genus hominum dicto, ſcripto, facto iuraſſe probe noſti. Recte quidem mones Mome, inquam ego. ſed intelligas velim, comparationem illam ad ſolius Galliæ populos referri, vt ſenſerit, in vniuerſa Gallia ſolos Heduos eo nomine gloriatos. in quo tamen deceptum Tacitum, oſtendit Lipſius, * dum ex Lucano Aruernos, & ex vetuſto lapide Batauos populi Romani Fratres dictos probat. Tandem, vt obiecto à te dudum propoſito ſatisfaciam, & ſi Eumenius noſter, vt cauſæ ſuæ ſeruiat, Heduorum ſcilicet laudationi, fabuloſam appellet originem fraternitatis, quæ inter Romanos & Mamertinos fuit, mihi tamen ſatis ſit, conſtare ex Polibio & Zonara, noſtros ita fuiſſe appellatos. adde, quod fortaſſe Orator eo nomine Ilienſium, & Mamertinorum cum populo Romano neceſſitudinem eleuare voluit ipſa temporis vetuſtate, quæ cum hiſtoriarum fidem minuere, tum cognationis affectum, ſenſumque laxare vt plurimum

* In deſcript. Italiæ.
* lib. 2.
* In Herculo Prodicio.
* lib. 13. & lib. 15.
* lib. 1. & 3.
*
* lib. 2. c. 7
* lib. 11.
* In notis ad Tacit. lib. 11.

nium conſueuit. Quæ enim omnem Scriptorum memoriam ſuperant, fabuloſa appellantur; vt propterea in priores Bibliothecę ſuæ libros fabuloſorum nomine inſcriptos Diodorus noſter reiecerit hiſtorias Troiano bello antiquiores, & de hac ipſa Ilienſium cognatione, ſcribit Tacitus, * *Neronem ſexdecim annos natum, vt honeſtis ſtudijs & eloquentiæ gloria niteſceret, cauſa Ilienſium ſuſcepta, Romanum Troia demiſſum & Iuliæ ſtirpis auctorem Aeneam, aliaque haud procul fabulis vetera, facunde exſecutum, impetraſſe, vt Ilienſes omni publico munere ſoluerentur*. Excepit ſermonem Calliſtratus, &, Quaſi vero, inquit, Eumenius ſenſerit, fraternitatem illam Mamertinorum & populi Romani, vti vetuſtiorem, & longa ſæculorum obliuione obductā, nullo modo conferendam cum ea, quam Hedui nouam ac recentem præſeferebant. ita ne verò Geni? Ita inquam ego. Cur ergo, inquit Momus, barbaros appellat Mamertinos Polibius, * ſi Campani, ſi Ciues R. erant? Cauſam in promptu habe, inquam ego. Oſcorum linguam, qui ijdem Opici erant, quod diuerſis conſtaret, corruptiſſimam fuiſſe oportuit, ideo vſus inualuit, vt ὀπικίζειν idem pene eſſet, ac barbare loqui, & Opici ſiue Oſci barbari dicerentur, quod pluribus ex Eudoxo docet Hieronimus Columna, * præterquam quod non Italia modo, Italicæque vrbes, ſed & ipſi quoque Romani, ſi Meurſio * ſi Paraeo * credimus, cum Græcis tum Latinis barbari appellati;

¶ Tandem vt vt conſanguinitas iſta deduci poſſit, perſuaſum habeo, me ab omnibus paulo æquioribus id facile impetraturum, vt ſi non natura fratres, quod non nimis ambitioſe expetimus, at certe officij beneuolentiæque cauſa, quod maxime optamus, Mamertini id nominis promeruiſſe credendi ſint. quod aliquos poſtea populos pari de cauſa S. P. Q. R. vel Impp. beneficio, pro magno eximioque ornamento aſſecutos probant Stephanus Vinandus * & Iuſtus Lipſius, * quorum iſte Heduos non aliam ob cauſam fratres Romanorum dictos eſſe ſcribit, quam quia Germanorum conſuetudine boni fideleſque ſocij fratres ac germani dicebantur. Porrò noſtri tot litteris traditam & vſurpatam verbis fraternitatem clariſſimis officijs, ſingulari opera, fideque & beneuolentia comprobarunt. Ac primum bel-

* lib. 11.

* lib. 1.

* In vita Ennij.

* In Lycophronis Caſſandram.

* In notis ad Plaut. Captiu. act. 4 ſc. 2 Bacchid. act. 1. ſc 2. Poenu. act. 3 ſc. 2.

* In Hercul. Prodicio.

* In notis ad 1 acit. lib. 11.

lo Punico, ſi Romanam hiſtoriam tenemus, principem cauſam Mamertini dedere. Nam cum ab Hierone Siculorum Rege, quo cum de agri finibus non ſemel dubio marte certauerant, grauiſſime premerentur, ad Carthaginienſes primum, quorum celebre tum apud Siculos nomen erat, confugere. poſtea, vel quod non ſatis horum viribus confiderent, vel quia factionibus diuiſæ ciuium ſententiæ, alijs Carthaginienſes, Romanos alijs præferentibus, in hos tandem vniuerſi inclinarunt. Legatos igitur Romam mitti placuit, qui fœderatæ ſociæque vrbi ſuppetias peterent. quos cum Senatus audiſſet, in diuerſa abijt. tandem delata ad populum res eſt, qui amplificandi imperij ſpe ductus, Mamertinos audiendos decreuit. *neque enim ignorabat*, ait Polib.* *Meſſana accepta, & Syracuſas* quas Cæſarauguſtam patronus * tuus nouo exemplo appellat, *& quicquid reliquum Siciliæ eſſet, imperio populi Romani facillime ceſſuras*. Paucioribus dixiſſes Geni, inquit Momus, Mamertini partim ad Carthaginienſes, partim ad Romanos defecere, quod ſi beneficij loco populo Romano expenſum feras, vide num etiam beneficium illud appelles, ſi vi ac malo coactus id feceris, quod, ſi integra res eſſet, neutiquam in animum induceres. nam quæ, obſecro, iſta gratia eſt? præſertim cum pauci illi Mamertini ſua priuatim ſponte, non publico ciuitatis conſilio Romanorum opem implorarint. Naſute nimium agis Mome, inquam ego. nam quod Mamertinos vel Hieronis, vel Pœnorum metus ad ea conſilia impulerit, quod tandem piaculum eſt? quod verò abdidiſti, non communi ciuium voluntate Romanos eſſe auitos, & ſi Polibius innuere videatur, mihi tamen longe veriſimilius eiuſce rei narratio à Diodoro noſtro petenda eſſe videtur. Scribit is * in ea pugna, quæ ad Longanim amnem inter Hieronem & Mamertinos fuit, hos adeo metu conſternatos eſſe, vt vrbem penè dediderint, niſi mature Annibal claſſis Punicæ Præfectus, qui inde præter vehebatur, accurriſſet, ac Hierone per aſtum tantiſper expectare iuſſo, præſidium oppido intuliſſet. deinde verò cum Pœni a Mamertinis eiecti non minus, quàm Hiero vrbe excidiſſent, hos in colloquium veniſſe, & ſocietatem inter ſe pactos, coniunctis viribus Meſſanam oppugnaſſe. tum demum verò Mamertinos ab populo Romano

* lib. 1.

* Matute pag. 30.

* libr. 22. eclog. 15.

fœderis iure ſuppetias imploraſſe. Ex qua Diodori teſtificatione vides iam noſtros re integra, eiectis ſcilicet multo ante Punicis præſidijs, & de communi omnium ſententia, Romanos aduocaſſe.

¶ Sed hæc haud multum habent momenti, inquit Momus. Illud magis ex te ſcire velim, quid cauſæ fuerit, quæ Romanum temporis locique eximium captatorem, ne Mamertinorum cauſam ſtatim arriperet, retardauerit? illa enim, quam conſulto, vt ſuſpicor, præterijſti, fortaſſe ad criminis inuidiam declinandam, veritum ſcilicet eum eſſe, ne ſi Mamertinos ex fœdere adiuuiſſet, communis ſceleris, vel inconſtantiæ argueretur, quod facinus in legione Campana, quæ Rhegium per vim occuparat, ſeueriſſime vindicatum, in Mamertinis diſſimularet, eiuſdem imo tanto grauioris criminis obnoxijs, quanto grauius peccat, qui exemplo ſuo facit, vt alij peccent; cauſam hanc, inquam, non tanti exiſtimo: qui nouerim, apud populum Romanum iuris & æqui rationem non ita ſcrupuloſe habitam, quin ſæpe, & plurimum in aliena ſepta tranſilijſſe, ſine vllo delectu iniuſta bella ſuſcepiſſe, apud omnes vbique audiat. Tum ego. Semper, Mome, ad ingenium redis. & vnis verbis Romanos imperij auidos, Mamertinos hoſpitij & iuris gentium violatores accuſas. De illis non laboro, quod eos in parte hac Lipſius * tuendos ſuſceperit. Noſtros qua ratione excuſem perdifficile eſt. & niſi vrbis ſplendor, diuitiæ, ſitus oportunitas, cœli terræque temperies * eos ab omni culpa vindicant, at certe magna ex parte facinoris odium minuunt. Atque hæc quidem, ſi communem Scriptorum errorem ſequi placeat. mihi ſane alia ſemper mens fuit. Nego enim Mamertinos vnquam vi, fraude, malis artibus Meſſanam occupaſſe. vnus mihi omnium loco ſit Feſtus Pompeius. * *Mamertini*, ait, *appellati ſunt hac de cauſa: Cum de toto Samnio grauis incidiſſet peſtilentia, Sthennius Mettius eius generis princeps conuocata ciuium ſuorum concione expoſuit, ſe vidiſſe inquiete præcipientem Apollinem, vt, ſi vellent malo liberari, ver ſacrum vouerent, ideſt, quæcumque vere proximo nata eſſent, immolaturos ſibi. quo facto, leuatis, poſt annum viceſimum deinde eiuſdem generis inceſſit peſtilentia. rurſum itaque conſultus Apollo reſpondit, non eſſe perſolutum ab his*

Lettar. pag. 42.

* *De Admirandis vrbis lib. 4. c. 3*

* *Herodot. lib. 7 Pauſan libr. 4. Thucid. lib. 6. Polib. libr. 1*

* *In verbo Mamertini*

bis votum, quod homines immolati non eſſent: quos ſi expuliſſent, certe fore, vt ea clade liberarentur, Itaque iuſti patria decedere, cum in parte ea Sicilia conſediſſent, qua nunc Tauricana dicitur, forte laborantibus bello nouo Meſſanenſibus auxilio venerunt vltro, eoſque ab eo liberarunt prouinciales, quod ob meritum eorum vt gratiam referrent, & in ſuum corpus communionemque agrorum inuitarunt eos, & nomen acceperunt vnum, vt dicerentur Mamertini, quod coniectis in ſortem duodecim Deorum nominibus, Mamers ſorte exierat, qui lingua Oſcorum Mars ſignificatur. cuius hiſtoria author eſt Alſius lib. 1. belli Carthaginienſium. Ex qua Alſij narratione à Feſto recepta vides falſo hactenus violati hoſpitij & latrocinij nomine Mamertinos eſſe à Scriptoribus inſimulatos. Sed neque ſane ad rem facit, Mome, quæſtio hæc, neque in ea poſitas eſſe, vt ille dicebat, Græciæ fortunas, ſatis intelligis. Pergo itaque ad reliqua. Appius Conſul ex Claudia gente, cui commiſſa illa prouincia fuerat, inſtructa claſſe, ſuperato freto Meſſanam appulit, publica vrbis gratulatione acceptus, Prima illi cura fuit, cognatos ſociosque obſidione liberare, Miſit itaque ad Hieronem & Pœnos, ad componendam pacem legatos. Hi cum nihil profeciſſent, bello decernere ſtatuit. Eductis igitur vtrinque copijs, cum primo diu anceps prælium fuiſſet, tandem victoria à Romanis ſtetit, maxima hoſtium cæde edita. quo metu perculſus Hiero, relictis caſtris noctu Syracuſas conceſſit, ne quid ſeditionis in ea vrbe moueret belli aduerſi fama. Carthaginienſes in ſubiectas ciuitates ſe recepere. Appius verò & ſecundæ fortunæ beneficio egregie vſus, & noſtrorũ fide auxilioque fretus Syracuſanorum caſtra perſequitur, initoque certamine plures cædit, reliquos in proxima oppida fugat. Rerum feliciter geſtarum fama populum Romanum facile impulit, vt maioribus animis viribuſque bellum ſuſciperet. Conſules itaque M. Valerium Maximum & M. Octacilium Craſſum in Siciliam mittunt. quorum aduentu pleræque Siciliæ ciuitates, quæ Carthaginienſium vel in ditione vel in fœdere erant, ſponte ſua, vt Polibius, & Zonaras teſtantur, aut vi atque armis adactæ, vt aliorum eſt ſententia, ad Romanos deficiunt. Hiero, vt ſociorum rem inclinatam videt, de ſua quoque ipſe metuens, populi Romani

ni amicitiam tutiorem ſibi quàm Carthaginienſium futuram ratus, legatos ad Coſſ. decernit ſocietatem deprecaturos. hi commodiſſimam belli conficiendi occaſionem nacti, cum Hierone pacem his legibus ſtatuunt, ſi captiuos, oppida, loca Meſſanenſium bello capta reſtituat. ſi centum argenti talenta ærario populi Romani inferat. Porrò ea acceſſione firmiores facti Romani cum Pœnis acrius bellum proſequuntur. quos plurimis prælijs attritos intra trium ac viginti annorum ſpatium in eas tandem anguſtias redegere, vt ægre pacem impetrarint, modo tota Sicilia & inſulis, quæ Siciliam Italiamque interiacent, abſtinerent, & duo millia Euboici argenti talenta penderent.

¶ Inde illud eſt, quod paſſim legimus, Meſſanã fuiſſe primi belli Punici cauſam. Hinc Rhodiorum illa in Senatu vox. * *Certe vos eſtis Romani, qui ideo felicia bella veſtra eſſe, quia iuſta ſunt, præfertis. nec tam exitu eorum, quod vincitis, quam principijs quod non ſine cauſa ſuſcipitis, gloriamini. Meſſana oppugnata Carthaginienſes, Athenæ oppugnatæ & Græcia in ſeruitutem petita Philippum hoſtem fecerunt.* neque alio reſpexit * Macedonis Philippi Legatus in concilio Ætolorum; *Meſſana,* inquit, *vt auxilio eſſent, primo in Siciliam aſcenderunt. iterum vt Syracuſas oppreſſas à Carthaginienſibus in libertatem eriperent.* hoc demum eſt, quod in Maniliana Cicero gloriatur, populum Romanum propter ſocios cum Antiocho, cum Philippo, cum Pœnis bella geſſiſſe. nempe explicat quidem, * cum Antiocho propter fœderatas Græciæ ciuitates, cum Philippo propter Athenienſes, cum Pœnis primo bello Punico propter Meſſanam, altero propter Saguntum. Hic Momus. Vereor, inquit, ne patientia hæc mea, qua te vſque dicentem ſuſtinui, effectum putes, vt deinceps, quicquid in buccam venerit, impune tibi liceat effutire. Et quam verò te à Siculis gratiam initurum ſperas, ſi hoc illis perſuadeas, tuorum Mamertinorum opera Romanis auitis, Siciliam tot vrbium, oppidorumque direptiones, excidia, incendia, vaſtitates vidiſſe, tot ſubijſſe infortunia, tot calamitates expertam, quot bella ſecum ipſa afferunt? Pulcherrime ſane Meſſana capitis munus impleuit, quæ cætera membra, quibus naturali proſpicere debebat affectu, prius cruento hoſtium ferro inquinauit.

* Apud Liuium li. 45

* Liuius lib. 31.

* Manut. in notis.

Littara pag. 35.

nauit.

nauit. quid enim eſt aliud,obſecro, externa arma in ſuorum Siculorum, in ſua viſcera, in cognatas gentes euocare, niſi cæteras vrbes, quarum eſſet futura vel regina vel mater, vaſtare, euertere, ciuibus ſuis ſpoliare? Hac certe ratione non caput erigitur, non ſublimi vertice ſidera feriuntur, ſed ceruices communi iugo, imo & ſecuri ſupponuntur. Compara igitur huiuſmodi capitalem cauſam (liceat ſic appellare) quam Meſſanenſes præſeferunt, cum æquiſſimis ſanctiſſimis illis rationibus, quibus aliæ vrbes ad vera principatus faſtigia euectæ ſunt. in vna nihil niſi horridum, minax, inſolens, atrox, immane: in alijs verò feſtiua omnia, omnia iucunda, omnia iuſtitiæ lancibus recte librata,& omnibus præter vnam Meſſanam gratiſſima reperies. Hui plus nimio incaleſcis, Mome, inquit Sophronius. at illud vide, ne Ilienſis tragœdos conducat. Rem acu tangis, Sophroni, inquam. & fortaſſe Momus eo me vel inuitum impellit oratione iſta, quo numquam antea cogitaueram. Etenim hæc prætextu, opinor, illud occupat, ne Panhormitanos ſuos (dudum enim aduerti, apud illos deuoraſſe, quæ hic euomeret) eo nomine accuſem, quod acerrimi hoſtes populi Romani fuerint, contra verò Pœnorum partes ſtudioſiſſimè ſectati ſint. hoc tamen ego metu te libero, Mome; neque ob eam rem reprehendendos cenſeo. qui ſciam officia illa, quæ non Punicis modo bellis,ſed æuo quoque antiquiori * Carthaginienſibus præſtitere, naturæ ac ſanguini perſoluiſſe, ſcilicet, quia ortos ſe, vti etiam Carthaginienſes, ex Tyrijs & Phœnicibus meminerant, Pœnos enim inde dictos, quaſi à Phœnicibus Phœnos, ex Seruio docet Pighius. * Æquiſſimum ergo erat, Mamertinos populi Romani nomen & cauſam ſequi, quos cognatione & origine attingerent, Panhormitanos viciſſim Pœnorum imperio parere, quibus cum commune genus acceperant. Quocirca ego, vt candide pro ſenſu meo loquar, ſummæ inhumanitatis, ne quid grauius dicam, Conſules Romanos appellare ſoleo, qui Panhormo expugnata * tam grauiter in ciues, quantumuis rebelles, animaduerterint, vt cum hi caduceatoribus ad Coſſ. miſſis vitæ incolumitatem deprecarentur (quid enim aliud parum viri æque deſiderent, quam vel breuem huius lucis vſuram) ac ſtipulatione inita, vicenarum in capita minarum nume-

* Diodor. libr.13.14.

* In Faſtis anni 490.

* Diodor. libr.23.c.12.

ratione

meratione facta liberi forent; vrbe occupata Coſſ. XIV. ciuium millia, ſi quis argentum attuliſſent, ex lege pacti libera dimiſerint, reliquos verò ciues numero decem mille, cæteraque impedimenta cum ſpolijs ſubhaſta diſtraxerint. vides itaque, Mome, nihil à me Panhormitanos eo nomine exagitari, quod Pœnorum amicitiam Romanæ prætulerint. Illud verò qua ratione excuſare poſſim non video, quod Beliſarium Iuſtiniani Imperat. ducem ad aſſerendam è Gothorum ſeruitute Siciliam cum exercitu venientem, Siculæ omnes vrbes exceperint, Panhormus ſola obſidionem (quod gloriatur) * non modo expectarit, ſed etiam hoſti, veluti per ludibrium contemnens, deceſſum imperarit, niſi fortaſſe ſpecioſo Aſyli Gothorum cognomine delectabatur. Quid, inquit Sophronius, Aſyli titulos nihili ne cenſes? an non eo Romuli commento ac prætextu res Romana creuit? illud adde, Gothi etiam ſi barbari cum eſſent, Chriſtiano tamen nomine cenſebantur. Hic ego. Fuerit ſane, inquam, Panhormus Gothorum, fuerit Barbarorum Aſylum neque enim id genus titulos & elogia ijs inuidemus, fuerint Gothi Chriſtiani, Sarracenos verò impuriſſimos acerrimoſque Chriſtianæ religionis hoſtes cur adiuuerint, cur eius gentis reliquias tota Sicilia à Normannis eiectas, ſoli Panhormitani tuendas ſuſceperint, & non vnam modo, ſed alteram etiam duriſſimæ obſidionis fortunam ſubierint, neque ipſe, ſi reuixerit, Oedipus cauſam diuinare poſſet. Quamquam ijs quidem ſatis commode, feliciterque res ceſſerit. ſiquidem, cum diu longaque ſæculorum ſerie obſcuram & ingloriam vitam duxiſſent, neque litterarum diſciplina, neque armorum ſtudio nobiles, vbi primum Barbarorum amicitiam fidemque amplexati ſunt, Carthaginienſium, Gothorum, Sarracenorum, nomen aliquod habere, & in numero eſſe cæperunt. Momus hic manum mihi injciens, De Gothis & Sarracenis, inquit, non inficias eo. ſed tamen iniuria Panhormitanos arguis, quaſi perpetuo Romanum nomen oderint. An verò neſcis, cum Syracuſæ à M. Marcello obſiderentur, ac reliquæ fœderatæ Siciliæ vrbes mille dumtaxat armatos viros ſingulæ ſuppetias Romanis mitterent, Panhormitanos tria millia dediſſe? nempe, ſi neſcis, ita cum illius * cecinit.

* Fazel. dec. 1. lib. 5. cap. 3. Valguarner de orig. Panh. pag. 81.

* lib. 14.

Tergemino venit numero foecunda Panhormus;
cuius officij merito egregia à populo Romano ornamenta aſſecuti. quod poſt Fazellum * nuperus quidam * his verbis explicat. *Succeſſiue amplificata à Romanis, & aquila Romana vrbis inſigni, & vrbis nomine, & felicis cognomine, & imperio Pratorio decorata eſt.* Vel ſcutica, inquam ego, tuam iſtam tibi ſtoliditatem è cerebro excuterem, Mome, niſi te deceptum Fazelli grauiſſimi alioqui ſcriptoris authoritate intelligerem, qui primus in eam ſententiam verſum illum Muſis fruſtra contra obnitentibus detorſit. ſcilicet fraterculus ille non rectè Sillij mentem & verba intellexit, quem, tantum abeſt, ſenſiſſe à Panhormitanis ſuppetias Romanis miſſas, vt imo copias illas Syracuſas defenſum iuiſſe dixerit. nam, cum paulo ante populos enumeraſſet, qui ſe Romanis addixerant, ita ſubdit.

* decad. 1. lib 8.
* apud Val guarn. loco cit. pag. 433

Hæc Latium manus & Laurentia ſigna mouebant
Catera Eliſæis aderat gens Sicana votis
Mille Agathirna dedit perſlataque Strongilos Auſtris
Mille Thoantea ſedes Feſcellina Diua
Tergemino venit numero foecunda Panhormus.

Quo loco, ſi Sillium capio, hoc ſenſit, populos illos, de quibus ante dixerat, pro Romanis fuiſſe, reliquos verò Sicanos Eliſæa vota, ideſt Carthaginienſes ab Eliſa ita dictos ſecutos eſſe. Atque hinc obiter tute ipſe perſpicere potes, quam ſint tota hæc commentitia vix digna lucubrationibus anicularum, in quibus adeo Panhormitani ſibi placent, cum ijs ornamentis, quæ mox referebas auctos ſe faſtuoſe prædicant. nam quid non auſuros eos fuiſſe cenſes, ſi ſuorum in Romanam rempublicam officiorum ac fidei vel volam vel veſtigium, vt dici ſolet, apud authorem aliquem reperiſſent, cum tot prærogatiuis ornatos ſe contendant, qui per vim ab Romanis expugnati, ſub corona venditi, poſt victoris beneficio in patriam redire permiſſi, iterato ad Carthaginienſes defecerint. Sed de his ſatis, in quibus in vita mea verſatur oratio,& quæ ego, niſi à te prouocatus, libenter præterijſſem.

¶ Pergo itaque qua cæperam. neque enim minora commoda, officiaque ex noſtrorum conſuetudine ac ſocietate in vtriuſque Punici belli progreſſu Romanus ſenſit. Certè præ-

ter commeatus, quibus neceſſario inſtruendi exercitus erant, conſtat ex Polibio, * Zonara, * & Sigonio * C. Cornelium Conſulem, & non multo poſt M. Attilium & L. Manlium itidem Conſules claſſem optimam Meſſanæ conſtruxiſſe. A. quoque Attilium & C. Cornelium claſſem trecentarum quinquiremium adornaſſe in eadem vrbe, qua Panhormum, quæ Carthaginienſium, vt dixi, partes ſequebatur ad deditionem impulere. Tandem à L. Iunio centum & viginti noſtratas naues, præter onerarias octuaginta, Meſſanæ comparatas eſſe, ex eodem Polibio accepimus. Et vt ad poſteriora exempla deſcendat oratio, quis neſcit M. Marcello ad liberandas Syracuſas à Senatu miſſo, primos omnium Mamertinos cum auxilijs præſto fuiſſe? ſic enim Sillius * ſcribit.

* lib. 1.
* tom. 2.
* in Faſtis anno 493. 497.
* lib. 14.

Exciti populi atque vrbes ſocia arma ferebant,
Incumbens Meſſana freto, minimumque reuulſa
Diſcreta Italia, atque Oſco memorabilis ortu.

Qua verò tempeſtate ſeruitijs ad pileum in Sicilia vocatis Eunus ducem ſe ac principem præbuit, & in ciuitates atque oppida tam efferè ſæuitum eſt, vt in Romani quoque populi dedecus quatuor Prætorum Manlij, Lentuli, Piſonis & Hipſæi caſtra vi capta ſint, nullaque fuerit vrbs, quæ ſeruorum in ſe crudelitatem non ſenſerit, ac perhorruerit; quantum eluxerit Mamertinorum virtus prudentiaque, Oroſius * his explicat verbis. *Igitur in Sicilia bellum ſeruile exortum eſt, quod adeo graue & atrox multitudine ſeruorum, inſtructu copiarum & magnitudine virium fuit, vt, non dicam Prætores Romanos, quos penitus profligauit, ſed Conſules quoque terruerit. nam ſeptuaginta ſeruorum millia tum in arma conſpirantium fuiſſe referuntur, excepta vrbe Meſſana, quæ ſeruos liberaliter habitos in pace ac fide continuit.* Addit Florus, * ſeruiles hos motus durius, quam Punica ipſa bella Siciliam habuiſſe. Accedit his, quod non modo re Romana ſtante, ſed ea per C. Cæſaris dictaturam inclinata iam & penitus collapſa, non eſt quod ſtrenuam Meſſanenſium fidem operamque deſideres. nam cum Sex. Pompeio Magni filio Sicilia obtigiſſet noſtri ea conſtantia Sexti partes excepere, vt Lepidi & Octauij copijs omnibus & iuribus oppugnatum ſinu fouerint, commeatu pecunijſque confor-

* lib. 5. c. 4.
* lib. 3. c. 19
Appia. lib. 5
Oroſi. lib. 6. cap. 18.

marint, claſſibus ornatiſſimis inſtructiſsimiſque defenderint. quare eo pertinere Auſonij verſum,

Aut Pompeiani Milaſena pericula belli.

* in notis ad Auſonium. cenſet Elias Vinetus, * & Meſſana pericula reponendum opinatur. Vides ex his, Mome, quæ prima fuerint, ac præcipua noſtræ vrbis in populum Romanum officia, quæ merita: reliqua ſane vel Scriptorum inopia, vel iniuria temporum nobis inuidit.

¶ Hæc tamen ipſa, quanti ab eodem populo Romano æſtimata fuerint, mecum animaduerte. & ne in rem meam loqui videar, Ciceronem potius in frequentiſsimo Senatu dicentem audiamus. Ciceronem inquam, veterem illum Siciliæ patronum, Mamertinis infeſtum maxime & inimicum. idque potiſsimum duas ob cauſas, & quod eius aduerſarium C. Verrem reum à Siculis poſtulatum, publica laudatione tuendum ſuſcepiſſent, tum etiam quod eum inquiſiturus in Verrem Meſſanam appuliſſet, tecto ac domo, vt ipſe queritur, non inuitarint, ſed in publico iacere, ac pernoctare permiſerint. Cum hæc ego dicerem, ridere interim Momus, & cachinnum tollere, Nam quid rei vel nugarum, inquam ego? & ille, Dies, inquit, hic vnus vel te planum & ſicophantam oſtendet, vel Ciceronem, me præuaricationes quæſtionem ferente, denuo in exilium aget. niſi fortaſſe Ciceronem alium ab inferis ſuſcites, qui perſonam ac nomen tuis hiſce fabulis accommodet. Non longe Iudices quæſieris, apud quos eius criminis iudicium conſtituas. en præſto ſumus, inquit Criticus, ſed qui præuaricatorem appellas ſummum illum Oratorem? Quid ni ita appellem, inquit Momus, eum qui prodita cauſa, quam in Verrem & Mamertinos ſocios ſuſceperat, hos, ſi modo vera fert Genius, adiuuerit? Tum ego. Non eſt quod timeam, Mome, ne ſibi ipſe Cicero in tua iſta accuſatione deſit, qui amicorum ſaluti ac dignitati vbique adfuit. ipſiſsimum certe differentem hic audies: quod facile, ſi tanti es, & ſi tritas habes aures, notanda diſertiſsimi viri dictione, poteris animaduertere. Is igitur ſub initia ſecundæ actionis in Verrem hæc habet. *Nam cum omnium prouinciarum rationem diligenter habere debetis, tum præcipue Siciliæ plurimis iuſtiſſimiſque de cauſis. Primum quod omnium exterarum nationum princeps Sicilia*

ſe ad amicitiam fidemque populi Romani applicuit. prima omnium, id quod ornamentum imperij eſt, prouincia eſt appellata. ſola fuit ea fide, beneuolentiaque erga populum Romanum, vt ciuitates eius inſulæ, quæ ſemel in amicitiam noſtram veniſſent, numquam poſtea deficerent, pleraque autem & maxime illuſtres in amicitia perpetuo manſerint. itaque maioribus noſtris ex hac prouincia gradus imperij factus eſt. neque enim tam facile opes Carthaginis tantæ concidiſſent, niſi illud & rei frumentariæ ſubſidium & receptaculum claſſibus noſtris pateret. At inquies, quorſum hæc recenſere, quæ communis inſulæ laudem reſpiciunt? Velim ego, penitius mecum rem totam excutias. clariſsime enim animaduertes, adeo ſplendidam orationem mutis quibuſdam verbis Mamertinorum aduerſus populum Romanum officia, fidemque prædicare. Illud ipſum, Momus inquit, expecto. id mecum ipſe perpendo. neque enim pernegauerim, me adeo bardum ac ſtupidum eſſe, vt, ne per ſomnium quidem id ijs verbis Ciceronem voluiſſe, intelligam. quin maxime gaudeo, tam excellenti aurium ſenſu pollere te, vt ex ea Ciceronis clauſula occultiora ſenſa colligas, quam quæ verbis ipſis concludi poſsint, vt de Linceo fabulati ſunt, videre eum ſolitum, præſtantiſsima illa oculorum acie, quicquid intra terræ viſcera contineretur. Ecquæ verò, inquam ego, Mome, vel in alijs reipublicæ prouincijs, vel in ipſamet Sicilia vrbs tantopere populi Romani amicitiam affectauit vt Mamertina ciuitas? adeo vt prius ei ſe fœdere iunxerit, quam præſentem de facie cognoſceret? Quæ ita præſtanti fide ciuitas fuit, vt ab Romani nominis ſocietate numquam defecerit? Quæ nam ad Carthaginis excidium, Africæque imperium Romanas claſſes portu excepit, commeatu, copijſque inſtruxit, mari emiſit? id quod apertiſsime eiſdem fere verbis Strabo * concinit, qui de Meſſanæ portu loquẽs, *Romani* ait *eo aduerſus Carthaginienſes vſi ſunt receptaculo.* Pædianus * verò hunc eumdem Ciceronis locum, quo omnium nationum exterarum princeps Sicilia ſe ad amicitiam fidemque populi Romani applicuiſſe dicitur, hæc habet. *Tum, cum Meſſana ciuitas ſeditione diuiſa auxilium contra Hieronem per legatos à populo Romano petijt, quod fuit initium diſcordiæ.* Atque ego quidem hoc loco mirari

* Strabo libr. 6.

* Pædian in action. 2.

ſatis non poſſum maximi Oratoris vel eximiam artem, vel non ſimplicem & candidum animum, quem non nemo * in homine illo deſiderauit. nam cum è re ſua non eſſe ſciret, Mamertinorum aduerſus populum Romanum merita officiaque recenſere, quos ob cauſas iam ante dictas Vatinia no odio proſequens, oratione ſatis virulenta, maledictis, conuicijſque proſcindere in animo habebat, cumque è diuerſo plurimam intereſſet, Siciliæ vniuerſæ cauſam honeſtiorem probatioremque facere ex ijs præſertim rebus præclare geſtis, quorum potiſſima pars noſtrorum fundus erat, obliterato Mamertinorum nomine, quicquid hi laudis ac gloriæ proprio labore & virtute quaſi erant, prouinciæ generatim adſcripſit. Sed vt craſſioris farinæ homines veluti manuducam, adeamus, ſi placet, ſextam in Verrem actionem ibidem inuenturi, quam maxime quærimus, luculentiſſimam Mamertinorum officiorum recordationem. *Quod tum Mamertini,* ait, *recentibus ſuis officijs, integra re, nullis populi Romani difficultatibus, à maioribus noſtris foedere aſſequi non potuerunt.* Cornelianæ etiam orationis locus ſe ipſo ſatis, niſi penitus deſipio, rem hanc conficere cenſendus eſt. cum enim Cicero docere vellet, minime primum Cornelium Balbum fuiſſe, qui è fœderatis ciuitatibus Romana vrbe donatus eſſet, etiam ſi illi populi huiuſce rei fundi facti non eſſent, ita ait. *Neque in vno Cornelio id fecit,* (de Cn. Pompeio erat ſermo) *nam & Gaditanum Aſdrubalem ex bello illo Africano, & Mamertinos obuios, & quoſdam Vticenſes & Saguntinos fabros ciuitate donauit.* ſubdit poſtea beneficij cauſam. *Etenim cum cæteris beneficijs digni ſint, qui noſtram rempublicam ſuo labore & periculo defendunt, tum certe digniſſimi, qui donentur ea ciuitate, pro qua pericula ac tela ſubierunt.* Qui vnicus locus noſtros cum ciuitate Romana donatos, tum etiam ſuis maximis in republicā meritis id aſſecutos eſſe oſtendit. ea porrò quænam fuerint, ex Manutio * docemur his verbis. *quid hoc ſit non ſatis aſſequor hoc tamen exiſtimo proficiſcenti ad bellum Africanum Pompeio quod cōtra Domitium à Sillà proſcriptum & Hiarbam Regem ſuſceptum eſt obuiam iuiſſe Mamertinos operamque ſuam detuliſſe quod officium tanti eum feciſſe vt præmij loco ciuitatem donauerit.*

* Plutarch. in Cicerone

* In notis ad orat. pro Corn. Balbo.

Rem

¶ Rem mihi nouam narras, Geni, inquit hoc loco Momus. quod niſi Ciceronem teſtem laudaſſes, vix tibi crederem. credidi enim hactenus, Ciceronis æuo Mamertinos nedum ciuitatem adeptos. Cur verò ita, inquam. & ille, Quia enim Cicero, cum Mamertinos Oratores perſtringeret, qui laudatum Verrem ierant, *Veſtra ne vrbs, ait, electa eſt, ad quam qui adirent ex Italia, crucem ciuis R. prius, quam quemquam amicum videret populi Romani? quam vos Rheginis, quorum ciuitati inuidetis, item incolis veſtris Ciuibus Romanis oſtendere ſoletis, quo minus ſibi arrogent, minuſque vos deſpiciant, cum videant ius ciuitatis illo ſupplicio eſſe mactatum*. qua oratione quid aliud adſtruere Oratorem putas, quam Mamertinos, quia Ciues Romani nondum erant, deteriori in cauſa fuiſſe, quam Ciues Romani eſſent vel Rhegini, quos item iure ciuitatis donatos alibi dixit, nunc verò Gauio Ciue R. C. Verris ſcelere in crucem ſublato, atque ita veluti mactato, vt inquit Cicero, iure ciuitatis, crucem illam Romanis ac Rheginis identidem oſtentare ſolitos, vt intelligerent, ſe non iam alia aut meliori conditione, quam reliquos prouinciales futuros eſſe. Alioqui, ſi Mamertini id temporis in ciuitatem Roman. adlecti, eo iure cenſebantur, quid cauſæ erat, cur Ciuibus Romanis, vel Rheginis inuiderent? Nae tu mihi non parum delirare videris, Mome, inquam, ſi Ciceronem ijs in actionibus vere & ex fide hiſtorica, ac non potius oratorie multa adfixiſſe, cauſæque ſuæ inſeruiſſe putas. Quid ſi dixerim, Mamertinos ea re ſignificare voluiſſe, C. Verre Prætore nullam ſpem Ciuibus Romanis reliquam eſſe poſſe, qua Ciuitatis Romanæ obtentu & vſurpatione, commiſſorum flagitiorum pœnas eluſuros ſe crederent. Id verò, inquit Momus, exiſtimo: cum videam Ciceronem eo, quem proferebas, loco diſerte ac planiſsime teſtari, Mamertinos Pompeij beneficio ciuitatem adeptos. At tu interim, qui vt Spartam iſtam exornares, Ciceronis omnes angulos penitiſſimoſque receſſus diligentiſſime exploraſſe præſefers, alios eiuſdem Oratoris locos non aduertiſti, qui non paulo felicius tuam ſententiam confirmaſſent. illum * in primis. *Tua inquam Meſſana tuorum adiutrix ſcelerum, libidinum teſtis, prædarum & furtorum receptrix*. illum item, * *Te omnium Siculorum patronum*

* Act.5.li.4
* Act.3.li.2

patronum vna Mamertina ciuitas ſocia furtorum & flagitiorum publice laudat. Et ego. Nimio enimuerò ineptis, Mome; qui inimici hominis teſtimonium proferas. quod ſi memoria tenuiſſes, id, quod ante monui, iniquiori in Mamertinos animo Ciceronem fuiſſe, facile cognoſcere potuiſſes, hominem illum tum cauſæ tum affectui plus æquo ſeruijſſe. quod minime nouum in iſto cenſeas velim; etenim is idem C. Verrem, cuius Romanam Præturam in Verrinis tot maledictis figit, totiſque voluminibus concidit, in Cluentiana ſanctiſſimum & diligentiſſimum Prætorem appellauit. Age verò Ciceronem tandem dimittamus tabulam forenſem de triuio, quàm Oratorem, ideſt virum bonum dicendi peritum inani verborum ità nequicquam inſanientem. Mamertinos dixeram ciuitate Rom. donatos fuiſſe; quod quanti apud eius ætatis homines æſtimatum ſit, probe memineris, ſi ad ſociale bellum reſpicias, quod ob negatam Italiæ populis ciuitatem exortum eſt. Illud autem admiratione dignisſimum, quod prærogatiua iſta atque laus nulli ex vniuerſis Siciliæ populis contigit. nullam noſtri vrbem Siculam in hoc beneficio ſociam habuere. licet enim multo poſtea Sicilia tota à C. Cæſare Latinitatis iura impetrarit; & mox etiam à M. Antonio ciuitatem, quod potisſimum Cicero * quæritur, communicatam tam facile exteris nationibus ciuitatem, quo etiam Diodorus * reſpexit, cum ait, *Multa igitur per inſulam hanc ciuitates ad leges illas rempublicam conformarunt donec omnes Siciliæ populos Romani ſua ciuitate donarunt*, neutram tamen legem, (quod bene Sigonius * animaduertit) fuiſſe poſtea ſeruatam, illud docet, quod Plinius * Mamertinos ſolos ciues Romanos appellat, Centuripinos verò, Segeſtanos & pleroſque alios Latinæ tantum conditionis. Sed neque ego aliunde crediderim effluxiſſe ornamenta illa, quibus in ſacra politia Meſſanenſem eccleſiam iure gloriari conſpicimus, quod ipſum apertiſsime Iulius III. Pontif. Maxim. teſtatur diplomate dato Kalend. Februar. pontificatus anno iij. quo poteſtatem facit eius eccleſiæ Canonicis, vel confirmat verius vetuſtisſimam conſuetudinem deferendi tiaras, cæteraque Pontificum ornamenta, agnoſcitque perantiquum illum morem ritumque ex populi Romani beneficio atque inſtitu-

* *ad Atticum lib. 14. epiſt. 12.*
* *lib. 13.*
* *De iure prouinc lib. 1. cap. 3.*
* *Hiſtor. natur. lib. 3. cap. 8.*

tis originem habere. quod eo confirmatur, quia galerum, quo illi vtuntur, populi Romani ſacerdotum, quos Flamines dixere, fuiſſe inſigne paſſim apud Scriptores * legimus. Eadem etiam coniectura ducor, vt exiſtimem, non aliunde cauſam ducere, quod ſolius Meſſanenſis eccleſiæ Diaconis in tota Sicilia campagis calceatos, qui calcei albi ſunt, procedere inter ſacra antiquiſſimo ſedis Apoſtolicæ beneficio licet, vti Gregorius Magnus * ſcribit. Porro ſacerdotalia calceamenta alba fuiſſe Romanis ex Appiano Volfangus Lazius * probat, nec ab Appiano Herodianus * abit, cum Antoninum Imperat. ſacerdotum more, calceos ex lino candidiſſimos geſtaſſe ſcribit. Neque eſt, quod in his pro tuo more ſubdubites, Mome. cum, vt id obiter moneam, clariſſimum ſit eccleſiaſticæ antiquitatis ſtudioſis, priſcos illos Chriſtianos Patres non parum multos Ethnicorum mores, tum in ſacerdotibus adlegendis, tum in ipſis ſacrorum ritibus in alios non plane omnino diuerſos ſanctius ſacratiuſque commutaſſe, * quod notius eſt, quam vt exemplis oſtendere opus ſit.

¶ Sed nimium ſatis in Romana republica euagati ſumus. poſtulat ordo dicendi, vt ad Imperatores Regeſque, qui inſulæ imperium tenuere, deſcendat oratio. Sane ſui ſemper ſimilis Meſſana pacem erga hos animi habitum perpetuo ſeruauit. Primum enim Arcadio Theodoſij filio hoſtium fraude copiiſque oppreſſo, cum extreme periclitanti nulla ſalutis ſpes affulgeret, ſola Meſſana plurium noſtratarum nauium claſſe comparata opem tulit, præſentiſſimoque periculo eripuit. Non multo poſt Iuſtiniano I. rerum potiente Totilas Gothorum Rex deuicta Italia, cum in Siciliam traieciſſet, * Meſſanam omnium primum adortus eſt. Dementiolus qui tum Strategum agebat vrbe egreſſus, certamine cum hoſte inito nihilo ſe inferiorem probauit, mox cum ſe intra mœnia recepiſſet, conſeruati in præſens oppidi gloria ſatis cõtentus, Gothi Siciliam omnem populati ſunt. Longo deinde interuallo reſtituta inſulæ Georgij Maniacis opera libertate, quam Sarraceni multo ante ademerant, hi ſi Fazello * credimus, ſed ſi Cedreno * fides aliqua eſt, vt antiquiori, ita etiam magis probato Scriptori, Siculi Romanorum iniuriæ inſultantes, quæ illos cauſa ad id amen-

* Alex ab Alex. gen. dier. lib 2. c.1. Carolus Paſchal. de Coronis lib. 4. c. 2. Panuin. in ciu. Rom. tit. de Flaminib.

* lib. 7. Indict. 1 ep. 28

* lib. 8 de republ. Roman. c. 13.

* lib. 5.

* Deſid. Herald. in notis ad Arnob. lib. 2 & 4. Bar. to. 1. anno 44. & 58.

* Fazel decad. 2. lib. 5. cap. 3.

* Decad. 2. lib. 6. cap. 2.

*

tiæ impulerit incertum, adſcito à Carthaginienſibus exercitu, præſidijs expugnatis, arces, vrbeſque præter Meſſanam omnes in fidem recepere. præerat vrbi tunc Cataloconus protoſpatharius, qui præter ciues quadringentos Armenos equites quingentos pedites ſub ſignis habebat. Siculi igitur, cum ne ſcintillam quidem Romani nominis in inſula reliquam eſſe cuperent, omnibus quibus per ætatem liceret arma ferre iuſſis, nouis inſuper ex Africa accitis auxilijs Meſſanam obſident. Porro Cataloconus ſimulato ex induſtria metu, cum triduo toto ſe in vrbe continuiſſet, hoſtes vagi palanteſque omnia populari vino iociſque largius indulgere ſegnius omnia agere, noctes comeſſationibus ac ſtupris trahere, ac ſi poſtridie vrbem eſſent capturi. Interim Meſſanenſis dux alia atque alia fingens, quarto die in quem eo anno, vt Baronius notat, ſacrum Pentecoſtes feſtum incurrebat, ſuis ad victoriam cohortatis, ſacriſque Chriſti myſterijs participatis, ex vrbe erumpens in hoſtes impreſſionem facit, eodemque impetu in caſtra Apollopharis peruadit, ipſum Imperatorem occidit, caſtriſque diſſipatis ſupra triginta hominum millia cædit, reliquis, qui cladi ſuperfuerant, Panhormum tamquam ad tutiſſimum Aſylum ſuum perfugientibus. Verum & ſi Meſſanenſes victoria hac ingenti hoſtem profligaſſent, inſulæ tamen imperium penes illos fuit, qui poſtea reſumptis viribus Meſſanam, quæ ſola Orientis Imperatori parebat, auxiliaribus copijs ex Africa Mauritaniaque accitis adorti, vi tandem captam expugnatamque miſerrime fœdarunt.

¶ Succedunt his feliciora illa tempora, quibus Normanni fratres Chriſtianam lucem libertatemque longo veluti poſtliminio reddidere, cuius beneficij cauſam Meſſanæ potiſſimum Sicilia tot annos infando barbarorum dominatu oppreſſa & fert & feret acceptum ſemper, * cum enim clarum & maxime illuſtre eſſet ea tempeſtate Normannorum nomen, tres è Mamertina nobilitate præclariſſimi Heroes, cum patriæ vicem extreme dolerent, neque aliam interim opem (adeò perditæ erant Chriſtianorum res) præſtare poſſent, Rogerio, qui Comes dictus eſt, authores primum fuere aſſerendæ ex barbarorum dominatu inſulæ, tum deinde eius expeditionis fortes fideleſque ſocij. quod cum latius tractan-

* *Fazel. decad 1. lib 2. c. 2 & dec. 2. lib. 7. c. 1.*

tractandum in loco ſit, hic veluti digito demonſtraſſe ſatis ſit. Iam deinde quis neſcit * Gulielmum, cui Malo cognomen fuit, cum Panhormi miſerrima omnia à Mattheo Bonello & reliqua coniuratorum fece in dies expectaret, à Mamertinis efflagitaſſe, vt quicquid nauium in promptu haberent, copijs armiſque inſtructas ſuppetias mitterent? Normannis, & qui ijs ſucceſſere Sueuis Regibus extinctis, conclamata iam vbique Corradini morte, Panhormus & reliquæ, præter Meſſanam vrbes, cum Manfredi conatibus minus fauerent, ſoli Meſſanenſes * ſumma fide Petrum Rubeum noua molientem cum familia tota vrbe eiecere & Manfredo legatione decreta & miſſa capeſſendi regni conſilia præbuere. Eum credo Manfredum loqueris, inquit hic Momus, à quo poſtea Mamertini mutato conſilio, cum defeciſſent, inſtructo ſatis copioſo exercitu, freto traiecto, contra illius copias apud Crotonem Calabriæ vrbem hoſtiliter monere, vbi commiſſo prælio, cum grauiſſima cæde Manfredus hoſtium copias affeciſſet, nihil ea clade territi Meſſanenſes, reparatis viribus Tauromenium, quod oppidum in Regis fide erat, expugnant, diripiunt funditus delent, ac deinde per legatos Romano Pontifici ſe ſe & ciuitatem dedunt. Ain verò, an alium Manfredum loqueris? Atqui non hiſtoriam Sicularum rerum texere cogitaui, Mome, inquam ego. neque hic locus longiores diſputationes patitur. illud ſolum moneo, Manfredi cauſam æquam & bonam Mamertinos primo credidiſſe. at cum poſtea Corradinum, cui legitimo iure regni faſces debebantur, ſuperſtitem etiam num eſſe, & Manfredum ob eam rem ab Alexandro Pontifice diris execratum comperiſſent, iure ab eo defeciſſe credendi ſunt. cum præſertim illi Summi Pontificis conſilium & authoritatem neceſſario ſecuti fuerint, cui Siculi Reges & Regnum & Regium nomen acceptum ferunt. Nempe operam ludis Mome, inquit Criticus. en vt elabitur. facilius quam in Çenium, teſtudo leporem aſſequetur.

* Fazel. 1. decad. 2. lib. 7 cap. 4.

* Fazel. de. cad. 2 lib. 8 cap. 3.

¶ Age verò, inquam ego, reliqua perſequamur. Manfredo vita functo & ſingulari Caroli Andegauenſis virtute accepta (frater is erat Ludouici Galliarum Regis, quem ob vitæ ſanctimoniam in Diuorum numerum Bonifacius VIII. retulit) Meſſanenſes, qui à Clemente IV. Siciliæ Regem

renunciatum eum ſcirent, omnium primi illius inſignia è mœnibus erexere. at, qua æquum fuit, animi voluntate noui regni auſpicia confirmarunt. at deinde expectata diu Principis virtus, cum in ignauiam vel tirannidem verteretur, noſtri ſui officij & muneris non immemores, per legatos cum priuatas tum publicas Siculorum querelas ad Regem perferendas curarunt. Is cum epiſtola illa ſua, quam ad Mamertinos * & Siculos ſcripſit, non ſatis oportuna remedia latius ſerpenti malo adhibuiſſet, in cauſa fuit, vt Panhormi primum, mox in reliquis Siciliæ oppidis miſere in Gallos ſæuitum ſit, communibuſque armis plurium annorum iniurijs vno eodemque die rite parentatum fuerit. Hem, inquit Momus, iamdiu te in his anguſtijs expecto. num fortaſſe eo impudentiæ perueneris, vt in huius gloriæ ſocietatem, quæ ſola ac ſolida Panhormitanorum eſt, partem aliquam Mamertinis tuis vindices, quos neque illorum preces, litteræ, obteſtationes, vt commune gentis conſilium ſequerentur, induxere. Optime vrges, Mome, inquit hic Ariſtobolus. at ſubriſi ego, &, Vides hic, Mome, inquam, quam æquo iure tecum hodie diſceptem, qui egregij illius facti laudem Panhormitanis conceſſerim, quo ſe maxime viros profeſſi ſunt: nam ante id temporis dubia res erat, viri ne an mulieris nomen Panhormus eſſet. quin frequentior ſententia obtinuerat Hermaphroditi eſſe, cum nomen ipſum fœminam ſonet; Panhormitani marem effingant in vulgato illo vrbis ſimulachro, cuius prolixam faciem, acuminatam barbam, diademate amictum caput tantum non panegirico exornat Fazellus. * Atqui tamen ita ſe rem habuiſſe, vt ante dicebam, vix Siculi quidam annales teſtantur, ijque anonimi, ne ſi caput in lucem efferant inultam aliqua turpitudinis, aut falſi nota frontem videamus. E diuerſo autem communis Scriptorum ſenſus, qui prouerbio locum fecit, & fama per manus ducta habent, Siculos omnes collatis conſilijs coniurationem ſuſcepiſſe & ad ſtatam veſperarum horam Gallos omnes tota Sicilia cæſos eſſe. Verum, vt dicebam, tuorum eſſe laudem hanc integram libens volenſque patior, & eo nomine plures ijs deberi gratias cenſeo. neque enim Mamertini in tanto rerum à ſe geſtarum gloriæ cumulo particulam hanc Panhormitanis vt extorqueant vel inuideant,

* Fazel decad. 2. lib. 8. cap. 4.

* decad. 1. lib. 8. c. vlt.

induci poſſunt. At illud etiam mihi concedas, neceſſe eſt, in hac ipſa re, de qua per me licet triumphes, longe maiorem gloriam Mamertinos nactos eſſe. Primum quia tui iſti Gallicidæ non conſilio, non induſtria facinus illud aggreſſi, ſed caſu & temeritate, vt ijdem ipſi prædicant. temere autem in acie verſari & manus cum hoſte conſerere, tantum abeſt, vt in laude aliqua ſit, vt potius immane quoddam & beſtiarum ſimile eſſe Cicero * ſcripſerit. Noſtri verò, quæ ipſorum eſt in tractandis rebus conſtantia & moderatio, cum plurimis Panhormitanorum aliorumque legationibus, vt hoc eis concedam, ad rem totam conficiendam vrgerentur, ſe ſe in officio continuere. at cum Galli petulantius horum patientia abuterentur, in eos irruunt, Herbertumque Siciliæ Præſidem, qui Meſſanæ ius dicebat * in Guelphoniam arcem primum mox in Calabriam compellunt. ita Meſſana nulla pene hoſtium cæde edita ex Gallorum tirannide ſe in libertatem recepit. Carolus grauiſſima ſuorum clade accepta, cum ingentibus copijs numeroſaque & inſtructiſſima claſſe, quibus in Michaelem Orientis Imperatorem bellum meditabatur, Meſſanam traijcit, Siculæ Hidræ caput, ſic enim dicere ſolitum aiunt, primis ipſis conatibus diſſecaturus. quindecim equitum millia ſub ſignis habuiſſe ſcribit Hieronimus Surita, * vt multo ſane maiores pedeſtres copias fuiſſe veroſimile ſit. Mamertini quidem inopinato hoſtis aduentu metu percelluntur, non tamen animorum, aut nominis obliti, Balduino Muſſorio Duce infeſti hoſtibus occurrunt. ſed re male geſta plures cæſi, plerique capti, dux ipſe cum paucis vix incolumis ad ſuos euaſit. Hi diſciplinæ militaris tenaciſſimi cladem illam Ducis ignauiæ tribuentes capitis in hominem animaduertunt, Alaimum Leontinum virum impigrum bello & vrbi præficiunt. Interea dum noſtrorum ſanguine furioſiſſimi hoſtis ira eneruatur, corporumque obiectu gladij à reliqua Sicilia propelluntur, Siculi (ſic Fazello placet, ad facti infamiam minuendam, id ſcilicet altera patria impetrare ab eo debuit, at ſi Villano * Paulo Æmilio, * Summontio * fides aliqua eſt, Panhormitani) cum Meſſanam acerrime oppugnari intelligerent, & fortaſſe bene auriti homines iam inde à ducentis millibus Gallorum oppugnantium voces, (vocaliſſimi enim &

auium

* de officijs lib. 1.

* Surita li. 3. c. 17.

* lib. 3. Hiſt. Arag. c. 23.

* Hiſt. Flor. c. 63. lib. 7.

* Hiſt. Frãcor. in Philippo Pulchro.

* Hiſt. Neapoly.

auium & hominum Galli ſunt) armorum ſtrepitum, machinarum & arietum fragorem auribus accipere ſibi viderentur, in extremam formidinem acti, per legatos morum ac vitæ ſanctimonia conſpicuos Romano Pontifici ſe commendare, veniã admiſſi facinoris ſacris illis ac ſanctis verbis deprecari, *Qui tollis peccata mundi miſerere nobis Qui tollis peccata mundi dona nobis pacem.* nempe pacem infimis precibus petebant, qui bellum vix pene auribus acceperant. Sane Pontifex ſtultiſſimam hominum leuitatem facetiſſimè caſtigauit. fertur enim reſpondiſſe, illos Iudæis eſſe perſimiles, qui Chriſtum Dominum, qua ijs verbis pie in ſpeciem venerabantur, *Aue Rex Iudaeorum*, qua conuicijs, probris, verberibuſque afficiebant. vt ea re intelligerent inepte Panhormitanos agere, qui tam ſtudioſe humiliterque pacem expoſcerent, cum interim Mamertini ſtrenue fortiterque Caroli conatibus obuiam irent. Ad hos redeo, qui duriſſima obſidione preſſi, cum ſociorum auxilia deſperata pene eſſent, atque inter hæc Milas, quæ ciuitas ſub Meſſanenſi ditione erat, à Gallis expugnatas intelligerent, Gerardo præſertim Cardinale Parmenſi id ſummis officijs contendente, qui in ea expeditione Legatum Pontificium agebat, ea lege deditionem offerunt, ſi præteritarum rerum obliuio & veluti amneſtia quædam ſanciretur, ſi non maiora vectigalia imperarentur, quam Gulielmo II. numerata conſtaret, ſi nullos magiſtratus neque in pace neque in bello Gallis hominibus capere liceret. * Eas conditiones cum grauiſſimi quique copiarum duces auide accipiendas cenſerent, Rex, (ſiue ira animos occupãte minus quid in rem expediret diſpicere tum potuerit, ſiue, quod vt alij * cenſent, vrbe per vim expugnata, crederet, iure ſe Mamertinorum immunitates, quibus ſub Gulielmo vſi eſſent abrogaturum) cum non niſi dedititio fœdere eos ſe in fidem recepturum comminaretur, & pacis & deditionis ſpem omnem amiſit. Legatus quidem ſacrorum vſum tum publice tum priuatim interdicit, Carolus verò vrbem terra marique acrius obſidere pergit, machinis, tormentis muros diſijcere nequicquam inſtituit. E diuerſo enim noſtri nihilo ſegnius hoſtem repellunt. matronæ ipſæ iam inde ab belli initio nihil ſibi reliqui facere, quo minus lapides, ligna, miſſilia, cæteraque id ge-

Surita loco citato.

Pet. Matthæus in hiſtoriola Philippa Catanenſis.

nis inſtrumenta propugnaculis inferrent, pueri, ſenes, omnis ætas, omnis ordo, omne mortalium genus propugnare, nulla munera, onera, pericula detrectare, neque duce, neque hortatore egere, vt nulla multis ante ſæculis acrior aut oppugnatio aut propugnatio hominum memoria teneatur. videlicet haud ignorabant Mamertini Gallos ſuorum popularium manibus noſtrorum ſanguine in primis parentaturos. Fama eſt eaque litteris conteſtata, matronarum virtutem fœmineam, an maſculam dixerim, in quibus Matilden, Clarentiam, Dinam appellant, ipſos hoſtium efferatiſſimos animos in ſui admirationem primum, poſt in commiſerationem traxiſſe, inde enatas illas hoſtium cantiunculas, rudes quidem eas pro ſæculi more, ſed quibus tamen ſatis teſtatum volebant, inuitos ſe reluctanteſque eo pertrahi, vt eius generis fœminarum procreatricem vrbem oppugnarent. ceterum poſtea Mamertini vbi Petrum Aragonium Regem Drepanum appuliſſe cognouerunt, elatiores ſecurioreſque redditi noctu eruptione facta hoſtes cædunt gazaque omni & commeatu pene exuunt, & de Florentinarum * copiarum prætorio tabernaculo (nam & hæ Carolo auxiliares erant) trophæa Patronæ Virgini in æde maxima ſtatuunt, quæ latiſſime explicat Bartholomeus Neocaſtrenſis Siculus illorum temporum ſcriptor, * qui eius æui res geſtas Heroico carmine quindecim libris complexus, opus ipſum Meſſanæ nomine inſcripſit.

Villan. libr. 7. c. 64.

apud Surit. in præf. indicis rerũ Aragonicarum.

¶ Iam verò quot operas, ſtudia, legationes inſequentibus annis Romani Pontifices Martinus II. Bonifacius VIII. Benedictus XII. in conciliandis fruſtra * Mamertinorum animis prodegerint, ſatis ſit hoc loco innuiſſe, ſane iuſtas ac noſtris præcipue commodas & cum dignitate vrbis coniunctas pacis conditiones à Legatis poſtulatas vix credas & ſtrictis gladijs cominus & miſſilibus machiniſque eminus à noſtris eſſe reiectas. Nam fœdus illud Bonifacij VIII. opera firmatum, quo Iacobus Petri filius Aragonum & Siculorum Rex, cum Carolo Neapolitano Regi Sicilia ceſſiſſet, * Ducem ſe etiam futurum ſacro illi (ſic appellabant) bello promiſit, quod ad vindicandam inſulæ poſſeſſionem indicebatur, quam turpe & fœdum ipſi Iacobo fuit, qui Siculos in patris fidem & clientelam tanto animorum conſenſu tranſeuntes,

Fazel. decad. 2. lib. 9. c. 1. pag. 495 c. 2 pag. 502 c. 4. pag. 528

Fazel. decad. 2. lib. 9 cap. 2.

ſeuntes,

ſeuntes, nulla noua cauſa intercedente, hoſtium iræ tot in-iurijs tot cladibus prouocatæ obiecit, tam Mamertinis ad dignitatem illuſtre & honorificum fuit. Cum enim ob eam rem inter Iacobum & Fredericum, quem inter hæc Siculi Regem dixerant, fraternum & pluſquam ciuile bellum eſſet exortum, nouo certe ac primo poſt hominum memoriam exemplo (frater enim fratrem alieni imperij cauſa tum primum oppugnare viſus eſt) Mamertini ad Mirtorum ſtationem xxij. longis nauibus, quas incredibili celeritate inſtruxerant, * cum Ioanne Lauria Rogerij nepote viginti longarum nauium ductore confligunt. cum vtrinque diu æquo marte pugnatum eſſet, noſtri tandem victores, ſexdecim hoſtium naues in iiſque prætoriam cæpere, & hoſtium ducem, quem deinde veluti maieſtatis reum capitis damnarunt. Verum Rogerius reparata claſſe, non multo poſtea inito cum Frederico Rege nauali certamine, impotenti noſtrorum ſuperbia victoriam conſecutus, naues Meſſanenſium omnes euertit, earum præfectos * Fredericum & Pirrhonem Rubeos, Anſalonum & Raimundum Anſalonos, Iacobum Scordium, Iacobum Capicium, pluresque alios principes viros, qui cladi ſuperfuerant, Nepoti parentaturus, ſæuiſſime trucidat, reliquos verò captiuos Iacobo ſiſtit. Iam fama tantæ cladis vrbem luctu, lacrymis deſperatione impleuerat. at vbi Regem, quem interfectum crediderant, incolumem aſpexere, ſedato dolore Meſſanenſes nihil ſe perdidiſſe, ingenua voce teſtati * ſunt. neque verò hic laborum finis. ſiquidem annonæ caritas, aſſidua belli comes, cum miſerrime inſulam vexaret, Robertus Caroli filius occaſionem eam rei bene gerendæ non negligendam ratus, Meſſanam occluſis terra marique itineribus vndequaque obſedit. verum non tam eximia & numquam ſatis laudata Frederici Regis induſtria ac pietate, quod Fazellus * ſcribit, quam prodigioſo D. Alberti Carmelitæ beneficio, importato commeatu, fame primum, obſidione deinde leuata vrbs fuit. Sane, vt leuiora illa, * agrorum depopulationes, vicorum, oppidorumque incendia, ruinas, quas ab eodem hoſte paſſi ſumus, cæteraque minutiora damna volens libenſque prætercam, Ludouici principatus, quo tempore vix vllum aliud calamitoſius Sicilia ſenſit, perſtrepentibus

* Fazel. decad. 2. lib 9 c. 3 Surita lib. 5. c. 26. Angel. Conſtant. lib. 3. Hiſt. Neap.

* Surita lib. 5. c. 28.

* Fazel. decad. 2. lib. 9 cap. 3.

* decad. 2, lib. 9. cap. 3.

* Surita lib. 5. c. 48. & 53.

tibus

tibus vndique & externis & ciuilibus inter optimates bellis, illam ipſam Meſſanenſium fidem non vno exemplo teſtatam habuit. Quid ego hic eximiæ liberalitatis exempla referam, * quibus Mamertini Mattheo Palicio ſuadente, exhauſto bellorum calamitate Regis ærario maximam auri vim intulere? Quid Catalanorum hoſtium * claſſes fortiter feliciterque debellatas? quid eluſas oppugnationes, quibus vel ab Claramontanis, vel à Falcono tentata vrbs fuit? præſtat ea ſilentio inuoluere, quam non è dignitate percurrere. Nam quæ ſubſecuta ſunt Frederici III. tempora, ob principis ſtoliditatem, duriuſculo verbo vti liceat, adeo turbulenta implicataque diuerſarum factionum ſtudijs fuere, eaque animorum in vtramque partem facilitate, vt eam ob cauſam neque leuitatis aliquem vel inconſtantiæ notam cenſere poſſis. Hoc loco Momus, ſi futura, inquit, coniectari licet, his longo velut aquæductu petitis excuſationibus & verborum Meandris, minuere criminationem illam ſperas, quod Mamertini tui in Aloiſij Neapolitani Regis nomen ac fidem tranſiere. Quaſi verò, inquam ego, omnis illius errati culpa non ſuſtinenda Nicolao * Ceſario ſit, qui cum pro Frederico Strategum vrbis ageret, rebus cum Aloiſio occulte compoſitis, & ad patrandum facinus comparatis auxilijs, edito per vrbem nocturno tumultu, plebem in hoſtis fidem per fraudes pellexit. ſane veriſimile eſt, contra Strategi vim, cuius ſumma & in bello & in pace poteſtas eſt, externis præſertim auxilijs munitam, neminem aperte aliquid auſum. id quod euentus poſtea comprobauit. nam cum Aloiſius Meſſanam traieciſſet, neque ſatis Mamertinis credendum intelligeret, * quod propenſiſſima in Fredericum fide eſſe experimento didiciſſet, quibuſdam ex his ſuſpenſis, alijs mari demerſis, pleriſque aliter interfectis, reliquos Neapolim transferri iuſſit. Nec multo poſt Manfredus Claramontanæ familiæ princeps, qui pro Aloiſio Meſſanæ ſummo cum imperio erat, reliquos Meſſanenſes, quod noua pro Frederico molirentur, interceptis eorum litteris, carceri addixit, alios in Calabriam ablegauit. quo factum eſt vt ſuis fere ciuibus vrbe deſtituta ac denudata, Manfredi iuſſu aliunde noui coloni accerſendi fuerint. quod cum neque ad tutelam ſatis eſſet, Aloiſium impulit, vt magnam militum ma-

* Fazel. dec. 2. lib. 9 cap. 5.

* Fazel. ibidem.

* Fazel. dec. 2. lib. 9 cap. 6.

* Fazel. ibidem pagin. 562. 563.

num in Siciliam mitteret, quorum pars Meſſanæ reliqui Panhormo, quæ tum Aloiſio parebat, præſidio eſſet.

¶ Demum ne exactum ſæculum Mamertinæ fidei eſſet expers, quo tempore Hugo Montecatenus Siciliæ Prorex, Hic verò interpellans Momus, ſatis iam, vt puto, dictum eſt, inquit, ò Geni, nec ſine multa mea voluptate de his quæ à Mamertinis tuis fortiter geſta ſunt dicentem audiui. ordo poſtulat, vt ad rem ipſam veniamus. nam ea officia, quibus ſuperiori ætate fidem ſuam atque operam Carolo probarunt, neque antiquiora adeo ſunt, neque obſcura vt hominum memoriam effugerint. rectius itaque arbitratu meo feceris, recentiora hæc prætermittere & quamprimum in arenam deſcendere. Tum ego, videris mihi, Mome, inquam, verbo quidem officij cauſa, intempeſtiuo obiecto obice, meam orationem in non ſuos alueos deflectere, re autem vera fugere narrationem paulo tibi fortaſſe iniucundiorem. ſcilicet vereris, ne dicendo obductas iam annorum lapſu cicatrices refricare videar. ſed patere, obſecro, tractationem hanc eodem quo cęperat curſu labi. Æquum petit Momus, inquit hic Dicarchus; fac itaque Geni breuibus rem agas. iam enim meridies appetit. & ego. Humanitate veſtra non abutar, & iam in exitu eſt oratio. Cum igitur Hugo * Proregem ageret, exortaque inter Proceres coniuratione, Panhormo fœde & cum ſummo capitis periculo fugatus eſſet, Mylas petijt, quo loco à Mamertinis præter omnem eius expectationem per Legatos acceptus ſummis honoribus in vrbem deductus eſt. Meſſanæ cum eſſet cæteraque Siciliæ oppida, vt in fide eſſent, per litteras hortaretur, hæc audita Proregis fuga ad Panhormitanos deficiunt, paucis exceptis circa Meſſanam oppidulis. nam Catana, Syracuſæ, Agrigentum, & pleræque aliæ ciuitates veteribus abrogatis magiſtratibus in ſuos quęque tumultus abiere. Verum cum deinde Carolus Rex, ſi quid interim à Panhormitanis, aut Siculis direptum in eo tumultu de regijs rationibus eſſet, ærario Regis inferri, ſeditionis authores capite multari, iuſſiſſet, & ad eas gerendas res Hector Pignatellus Montiſleonis Comes Panhormum appuliſſet, ac magiſtratibus ceſſare iuſſis, vectigalibus reſtitutis, veniam omnibus condonaſſet, viginti ſolummodo incerti nominis hominibus exceptis, iterato

* Fazel. dec. 2. li. 10. cap. 1.

rato Panhormitani in ſeditionem ruere. plures ex ijs, qui in ſummo magiſtratu erant, inter ipſa ſacra crudeliter trucidati, turpiſſimeque per vrbem raptati vix à Prorege temperatum eſt. acquia peccandi licentia facile in exemplum trahitur, Siculæ ciuitates omnes ingentes motus excitarunt. ſola Meſſana harum calamitatum expers fuit. nam Meſſanenſes ita eorum ciuitatem ac ditionem in fide continuerunt, vt nihil in ea ſit inique perpetratum. Tandem, vt altero exemplo rem claudam, ſedatis hiſce tumultibus, cum Prorex Siculorum procerum conuentum Panhormi indixiſſet, rei pecuniariæ ſubſidia petiturus, plerique autem ex his ad plebis auram conciliandam, ſolos proceres id oneris ferre æquum eſſe, dictitarent, veritus Hector, ne infecta res eſſet, ſoluto in præſens conuentu, Meſſanæ eum haberi iuſſit, quod in ea vrbe rem ex voto ſucceſſuram arbitraretur. neque eum ſpes fefellit. quippe illius in ſententiam ſumma omnium voluntate diſceſſum eſt.

¶ Atque hæc, Mome, ſunt præcipua, ac magis ſpectata aduerſus Reges noſtrorum officia, hæc merita, quæ in hiſtoricam lucem nihil ſuſpectam prodiere. nam quorum fides ex noſtris Scriptoribus aut domeſticis teſtibus authoritatem habet, prætermittere ſatius duxi, quam vt male animatis anſam ea peruicaciter negandi præberem. ſed & eam operam, quam ciues ſinguli priuato conſilio egregie fortiterque reipublicæ impenderunt, ſilentio inuolui, ne rem à Fazello actam agere videar, apud quem id genus exempla ſingulis fere paginis occurrunt. ſane poſteriora illa, quæ paulo ante recenſebam, facile prætergreſſus eſſem, quod fęlicis vrbis laudibus non nihil officere viderentur, ni credidiſſem, Panhormitanos poſtrema hac ętate perpetua in Principem fide obſeruantiaque maculas omnes eluiſſe, ac præterea vidiſſem nihil eſſe indignatos Thomæ Fazello, coniunctiſſimo ipſis viro, qui hæc quæ preſſius tranſcripſi, luculentiſſime in lucem edidit. Illud ſane minime prætereundum, Mamertinos non domi modo ijs, quos Dominos ſortiti ſunt, ſed in externis quoque prouincijs fortem fidelemque operam ijs præſtitiſſe quos eorum fide ac virtute vti contigit. Inde ab externis etiam Regibus egregia aſſecuti ornamenta. immunitatem à Venetis atque Armeniæ Rege, à Neapolitano expor-

tandi frumenti facultatem, &, quod potiſſimum eſt Mamertinæ dignitatis argumentum, certa lege eaque antiquiſſima cautum, * ne pecunijs Neapoli cudendis alij, quam Meſſanenſes, præficerentur. Et hoc ipſum, inquit tum Momus, quod permagni æſtimas, Geni, ſummæ arrogantiæ index eſt. patere iam ex me audire, plura eius generis exempla, quæ de tuorum faſtu atque inſolentia apud authores notaui. Primum pace inter Siculas vrbes & Agathoclem Syracuſarum Regem ijs legibus inita, * vt ex Græcis vrbibus Heraclea, Selinis, & Himera Carthaginienſium ditionis eſſent, cæteræ verò ſe ipſis regerentur, modo Syracuſanos regiminis cenſores moderatoreſque haberent, ſola Meſſana Agathocli aduerſata eſt. Sola Pirrhi * Epirotarum Regis, cuius in fidem Siculæ omnes vrbes tranſierant, arma deſpexit. ſola neque Hieronis, neque Carthaginienſium imperia ſenſit. ſola Romanos ex Italiæ finibus euocauit. ſola conſpirantibus tota inſula ſeruis, ſuos in officio continuit. ſola Gothorum, ſola Sarracenorum dominatum effugit. ſola Manfredum Rogerij filium ſuſcepit ac fouit. ſola Siculos tumultus ſub Hugone non ſenſit. Soli Meſſanenſes & in Siculo & in Neapolitano regno æs publicum ſignant. ſoli Diaconi inter ſacra campagos geſtant. ſoli & C. Verre & Souenaxdo Prætoribus omnium omnino onerum immunes eſſe volunt. At noli, inquam ego, iniquo adeo in Mamertinos animo eſſe, vt quæ apud æquos rerum æſtimatores laudi tribuerentur, ea tu culpæ ac vitio vertas. quin maximas ijs deberi gratias mecum cenſeas velim, quod ſiue primos barbari vel externi hoſtis ictus excipiunt, eos à reliqua Sicilia propulſant, ſuo ſinu, ſuo periculo repellunt: ſiue poſtremos experiri contingat, victoris furorem reprimunt, communemque ſalutem ac dignitatem in extremo ac principe angulo tuentur. Noſtri Regem in bella proficiſcentem ſiue domi res gerenda ſit, ſiue in peregrino ſolo, præire non ſequi, manus cum hoſte conſerere, non pedem referre, prælia, pugnaſque depoſcere, non detrectare militiam, noſtri nullo non tempore dies nocteſque in mœnibus, in ſtatione eſſe, & veluti quadam è ſpecula totius Siciliæ saluti excubare, conſilijſque proſpicere. noſtri hoſtium incurſus pati, animoſe ſed vere dicam, quod alijs ærumnoſum eſt, in votis optatiſque habere. noſtri demum

* M. Ant. Surgent. de Neapol. illuſtr. lib. 1. cap. 7.

* Diodor. libr. 19. c. 71. & 112.

* Plutarch. in Pirrho.

numeroſiſſimas claſſes excipere, exercitus alere, diuerſiſſimarum regionum homines in pace continere, copiarum duces Imperatores ſinu fouere, omni officiorum genere proſequi. Quam ob rem ex his facile adducor, vt credam, Siculas ciuitates, quæ, ſi modo vera fateri libeat, quod à Sarracenorum tenebris, quod à Gallorum tirannide, Chriſtianæ luci, Aragonicæ libertati redditæ ſunt, Meſſanæ acceptam ferre debent, facillime conceſſuras eſſe, vt quam vrbem communi ſumptu munire, & reficere, ſtudijs omnibus colere (abſit verbo inuidia) ſuo iure deberent, ea Principum beneficio libera, & immunis facta, immunis diu ſemperque ſit, floreatque. Vt enim ſi vnumquodque membrum ſenſum hunc haberet, vt poſſe putaret valere ſe, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet, ſic & in regno ſi vnaquæque ciuitas rapiat ad ſe commoda aliarum, detrahatque, quod cuique poſſit emolumenti ſui gratia, ſocietas communitaſque euertatur neceſſe eſt. nam vt ſibi quiſque malit, quod ad vſum vitæ pertinet, quam alteri acquirere, conceſſum eſt non repugnãte natura: illud natura non patitur, vt aliorum ſpolijs noſtras facultates copias, opes augeamus. At quam vereor ego, ne ſicut ægroti, vbi priſtinæ reſtituti ſunt ſanitati, iam vel Dijs vel fortunæ, plerique etiam naturæ benignitati ac præſtantiæ id adſcribentes, Medicum de ſe optime meritum oderunt, parumque abeſt, quin indignentur, ſi gratiam ijs vllam debere ſe ſentiant, pari euentu Siculi male factis penſent ea Meſſanenſium in rempubl. officia, quibus fortaſſe pares gratias habere vix poſſent. Ecquem verò dicendi finem facies, inquit hic Momus. in re præſertim, quæ nil commune habet cum tractatione, quæ de priuilegiorum fide ſuſcepta eſt. Oportune facis, inquam ego Mome, & iam deſino. quæ verò narrata hactenus ſunt, & ſi tibi à propoſita re declinare videantur, eo à me dicta eſſe puta, vt vitilitigatoribus iſtis tuis os occludam, qui in nulla fere alia re tam multi ſunt, quam vt blaterent, ornamenta ac beneficia à Siculis Regibus in Mamertinos collata longiſſime illorum merita, expectationemque ſuperare. id quod quam verum ſit, tu te ipſe perſpicere ſatis potes. Alterum eius ſuſceptæ narrationis conſilium fuit, vt inde facile appareat, ſumma fide niti

priuile-

priuilegia hæc,& veroſimillimum eſſe, eos qui pro ſociorum, pro Principum, pro Reipublicæ ſalute ac dignitate extrema pericula adiere, ſummis quoque honoribus eſſe affectos. Inde ille * ſcripſit, maiores noſtros rectiſſime tres Gratias ita depinxiſſe, vt vna auerſa duæ nos reſpicerent, vt ea redocerent profectam à nobis gratiam duplicem reuerti debere; ideſt remunerationem largiori cumulatiorique menſura eſſe rependendam. Vix hæc ego. cum ſermonem excepit Dicarchus. & ſatis, inquit, hac die diſceptatum eſt. quod ſupereſt, in tertiam lucem diffundatis iubeo. Ita me Dij ament, inquit Momus. perdant magis, ſi cum Genio hoc die illa congrediar. An verò ignoras, Dicarche, tertium ab hinc diem Martis eſſe. nam quid reliquum cauſæ meæ futurum exiſtimas, ſi Marte auſpice, & vt iſti loquuntur horoſcopi Domino, cum Martis filijs mihi pugnandum ſit. Vera dicis, Mome, inquit Dicarchus. itaque, ſi placet, ad Mercurij diem vobis conſtituo.

* Seruius in 8. Aeneidos

ΦΥΛΑΚΤΗΡΙΟΥ

ADVERSVS MAMERTINAE IMMVNITATIS CALVMNIATORES.

Pars Secunda.

IAM Mercurij dies illuxerat, quo Senatoribus Dicarchus conſtituerat. & iam illi ſolito maturius conuenerant, iam ſuis quiſque ſubſellijs aſſederant, cum ecce Momus, villoſa lacerna amictus, capite obuolutus, ſoleatus, ingreditur vel irrumpit potius. Quis iſte eſt corporis habitus, inquit tum Dicarchus, ò Mome? & hic. Futuræ concertationis cura, quæ me peſſime triduo exercuit, concubia hac nocte monuit, vt lecto maturius ſurgerem, Aduocatos hos meos conſulerem, memoriæ mandarem, quæ de tota re hodie diſceptaturus eſſem. in eam cogitationem adeo incubuit animus, vt vix tandem, niſi veſtro hoc æris campani ſigno monitus, illuxiſſe animaduerterim. itaque eodem habitu, quo libris inſiſtebam, è ſella proſilui, huc ad vos dicto citius aduolaui, ne cauſa caderem, ſi vadimonium deſeruiſſem. Vbi tu igitur es, qui me in ius vocabas, Geni? ecce ego me tibi ſiſto. tu contra & te mihi ſiſtas iubeo. Sane ita ſedulum litigatorem decet, inquit Dicarchus. nempe

nimis homo nihili eſt, qui piger eſt,
nimiſque id genus ego odi male.

At tu, Geni, interim cur non manum operi admoues? cur taces? Hic ego. Superior dies, inquam, Iudices vno veluti faſce Meſſanenſium res geſtas explicatas habuit, quibus eximia Principum optimorum liberalitate ea ornamenta conſecuti ſunt, quæ ab aduerſarijs hoc tempore in iudicium vocantur. De quibus, antequam ſingula diſpiciamus, pauca quædam præfari liceat. Conuenire inter Scriptores omnes Meſſanam fuiſſe potiſſimam belli Punici prioris cauſam, Meſſanenſes & Cognatos, & Fratres populi Romani eſſe appellatos, fœdere etiam antiquiſſimo coniunctos. ad hæc Romanis, vt Siciliam ingrederentur, auctores primum fuiſſe, tum deinde in bello cum Carthaginienſibus geſto ſociorum cauſam portu, commeatu, copijs, fide adiuuiſſe, ob eaſque res fortiſſimos * & antiquiſſimos Romani nominis ſocios dictos, diuerſo ac potiori iure quam reliqui Siciliæ populi cenſeri ſolitos. Conſiderandum inſuper, Macrobium, * cum de Meſſana loqueretur, non temere illi nobiliſſimæ Siciliæ vrbis epitheton indi, ſed nec quidem Eutropium * & Oroſium, * ſequentis æui ſcriptores, inconſulto eoſdem titulos vſurpare. *Mamertini, inquit iſte, quorum nobilis Siciliæ ciuitas erat.* quibus verbis, niſi plumbei omnino ſumus, veluti manuduci ad antiquiſſimorum decretorum fidem aſſerendam videmur. His illud addendum, quod Fazellus * ſcribit, publica hæc monumenta populi Romani, cum corrupta pene eſſent, fugientibus iam præ antiquitate litteris, Vuillelmi II. Regis iuſſu, ne Meſſanenſium rerum pulcherrime geſtarum memoria interiret, à Gualterio Panhormitano Archiepiſcopo, Rainaldo Syracuſano, & Ioanne Caietano Epiſcopis totidem verbis alijs tabulis fuiſſe exſcripta.

** Barrius de ſitu Calabr. lib. 3.*
** Saturnal. 1. cap. 5.*
** lib. 2.*
** lib. 5. c. 7.*
** decad. 1. lib. 2. c. 2.*

¶ In re plane adeo antiqua, addo etiam, quæ eius generis eſt, vt cum populi Romani in non famoſiſſimam vrbem beneficia contineat, neutiquam commendari ſoleat hiſtoriarum monumentis, has coniecturas apud æquos rerum æſtimatores, certiſſimæ probationis vicem habituras confido. niſi forte quiſpiam ita peruicaci ingenio ſit, vt hiſce Senatuſconſultis fidem habendam neget, niſi ea præter diem & Conſulem adſcriptos Senatores habeant, qui ſcribendo

aſſuere, templa, ad quæ Senatus habitus ſit, ſcribam qui acta deſcripſerit, &, quando aliter huic antiquitatis amatori ſatisfieri nequit, fidem etiam publicam præſeferant, qua huiuſmodi acta legitima, ſolemnia, & ex elephantinis libris, qui in ærario aſſeruabantur, excepta eſſe conſtet. Sed vereor quoque, vt hæc futura ſatis ſint. Etenim

noſtra ætas non multum fidei gerit.
Tabulæ notantur, adſunt teſtes duodecim,
Tempus, locumque ſcribit actuarius;
Tamen inuenitur Rhetor, qui factum neget.

¶ Cur enim non negem, inquit hic Momus, facta eſſe ea, quæ numquam fuere? cum præſertim, qui fabulas iſtas veſtras confinxere; ſiue quod in hiſtoria Romana non multum eſſent verſati, ſiue quod mendaces in firmiſſima plerumque eſſe memoria ſoleant, plura per ſummam oſcitantiam minime animaduerterint, quæ euidentiſſime fidem omnem ijs abrogant. Cuiuſmodi primum illud eſt, vt inde maxime initium ſumam, quod, quo tempore App. Claudius & Q. Fabius Coſſ. priuilegium illud irrogaſſe Mamertinis traduntur, vix dum Siciliam ingreſſi erant. nondum fide vel armis ciuitatem vllam in ditionem redegerant, quod non prius, quam quingenteſimo ab V.C. anno factum Sigonius ſcribit. at cum priuilegium exceptio quædam ſit à communi lege, fit inde, illud tribui, niſi ijs, non poſſe, qui eius legibus imperio & ditioni ſubiecti ſint. qui fieri igitur potuit, vt Mamertini priuilegio à Romanis augerentur, quorum ſubditi nondum eſſent? quis credat, Romanos Meſſanam vel immunem vel prouinciæ caput eſſe iuſſiſſe, in qua ne glebam quidem ſuo iure tum poſſiderent? niſi forte vana ſtultaque liberalitate id elargiri voluerunt; quod ſuum nondum erat, ridiculam Annibalis nundinationem imitati, qui magnificentiſſime pollicitus, Capuam breui caput omnis Italiæ futuram, iuraque Romanum cum reliqua plebe populorum inde petiturum, fallaci promiſſo, & fidem ſuam & vaniſſimos Capuates fruſtratus eſt. An verò ſi pirata quiſpiam ignobile aliquod oppidulum apud nos, clanculum, & per fraudem occupaſſet, idque inſulæ & gentis caput dato etiam diplomate appellaſſet, id adeo ratum habendum eſſet? At, inquies, Romani Meſſanam ingreſſi iam erant, Hieronem Pœnos acie

Littera pag. 32. Corſett. pagin. 62. Matute pagin. 31.

Littera pag 32.

Littera pag. 33.

fuderant, Syracuſas vſque victorem exercitum duxerant? Hoccine eſt prouinciæ totius eſſe potitos? hoccine Siciliam adipiſci? ſolam Meſſanam tenebant, ſolam igitur Meſſanam Meſſanæ præfecere, neque enim alia erant membra, quæ capiti ſubijcerent. præclarum verò facinus & Romana ambitione digniſſimum. vt quis primo coronam capiti aſſumat, de regno vero comparando poſtea cogitet. Quid ſi negauerim, ab Appio Hieronem bello ſuperatum? Triumphus enim, quem is egit, non tam de Hierone & Siculis, quam de Carthaginienſibus fuit, quod Sillius * teſtatur.

Littera pag. 34.

* *lib. 6.*

At princeps Poenis indicta, more parentum,
Appius adſtabat pugnæ, lauroque reuinctus
Iuſtum ducebat Sarrana cæde triumphum.

Quid, quod Genebrardus docet, pedetentim Romanos Siciliam acquiſiſſe, vt primo prouincia facta ſit, quicquid rerum extra regnum Hieronis eſſet, deinde verò ſecundo bello Punico etiam Syracuſanum regnum in prouinciæ formam venerit. Interquieuit hic Momus, faciem deterſit, auram accepit. Tum ego. Primum iſtud obiectum, Mome, facili negotio ſoluitur, vt proinde colligas, non ſane multum in reliquis eſſe elaborandum. &, opinor, non ſine Deorum voluntate librum illum auctor propugnationem inſcripſit, nempe vt, vel me tacente, quam infirma deſperataque eſſet cauſa, titulo ipſo fieret palam. quorſum enim propugnatione, munimentis, alijſque id genus molitionibus opus fuiſſet, ſi firma ſolidaque praiacta eſſent fundamenta. aut quam architectus æui durationem operi promittat, ſi ab ipſo conſtituendæ domus exordio parietes fulcimento ſuſtinendi ſint.

¶ Sed ad rem venio, ac duo quidem videris ſtatuere. primum non potuiſſe Romanos Meſſanã vel immunem vel gentis caput ac metropolim dicere, quæ nondum populi Romani imperio pareret. priuilegia enim, inquis, non niſi ſubditis, & qui legibus obſtricti ſint, à principe concedi poſſe. id verò quam verum ſit, neminem latere cenſeo. neque enim in iure noſtro ciuili nouum eſt, eos quoque, qui in noſtra poteſtate imperioque minime ſunt, cuius generis & loca ſacra, & eorum adminiſtri cenſentur, externi & peregrini homines, priuilegijs honeſtari poſſe, quod adeo clarum eſſe opinor, vt maxime verear, ne non fruſtra laborare exiſtimer,

ſi Iuriſconſultorum qui ita ſenſerint nomina hoc loco recenſere velim. An verò id impedimento fortaſſe fuit in veteri hiſtoria, quominus à Spartanis & præſidendi locum in theatro & immunitatem accipere Decelenſes * poſſent, qui vagantes ad inquirendam Helenam Tyndaridas fratres, & in ignotis Athenienſium agris errantes in viam reductos, amice comiterque exceperant? at hi ipſi externi Spartanis, & ſui iuris ac poteſtatis erant. Maſſilienſes, * quibus ob multa præclaraque eorum in Romanam rempublicam merita munerum omnium vacatio, ſpectaculorum locus in Senatu datus, & fœdus æquo iure percuſſum eſt, vtique & externi & liberi tum erant. idem in Thermeſibus * Piſidiæ populis obſeruabis, quibus ſimilia fere ornamenta à populo Romano decreta legimus, cuius generis exempla, quod paſſim apud Scriptores obuia, longum eſſet hoc loco afferre.

** Herodot. lib. 6.*

** Iuſtinus lib. 43.*

** Sigon. de Iure prou. lib. 1. c. 10.*

¶ Alterum quod aſſerebas, Appio & Quinto Coſſ. nondum Sicilia potitos Romanos, quam verum ſit, alibi oſtendemus, docebimuſque, bonam Sicularum vrbium partem Romano imperio tum paruiſſe, cum priuilegium irrogatum eſt. inde conſequetur, nec ſoli Meſſanæ Meſſanam Romanorum prærogatiua antelatam, neque id eos eſſe elargitos, quod ſuum non eſſet. Nec tamen negauerim, pedetentim Siciliam omnem in prouinciæ formam veniſſe, cuius rei & Liuium & Polibium & Diodorum authores habeo, at non inde conficitur, non potuiſſe Romanos immunitatem Mamertinis tribuere eorum onerum, quæ iure belli deuictis populis tum imperarant, aut deinceps imperaturi eſſent. neque ad eam rem diuinatione opus fuit. cum ab ipſo belli Punici prioris ingreſſu non vno exemplo populus Romanus ſignificarit, animum ſe ad Siciliæ imperium adieciſſe. Tandem quod extrema oratione addidiſti, Appium non tam de Hierone Syracuſarum Rege, quam de Poenis triumphum duxiſſe, quamquam id nihil ad cauſam faciat, falſitatis reuincunt Eutropius, * Panuinus, * Goltzius, * Sigonius * & Vinandus, * qui App. Claudium de Poenis & Hierone Siculorum Rege triumphaſſe ſcribunt. Sillium verò id omiſiſſe, nihil te moueat, fruſtra enim à poetis hiſtoricas minutias expectes. quare niſi alium Achillem habes Mome, actum iam de concertatione iſta erit. Scilicet, inquit ille, vno pu-

Littara pag. 35.

** Eutrop. libr. 2.*

** Panuin. in Faſtis.*

** Goltzius in Faſtis.*

** Sigon. in Faſtis.*

** Vinand. in Faſtis.*

tas morbo laborat primum hoc Mamertinorum Senatuſconſultum. ac non potius in tot ſe laqueos induit eius fabulæ actor, quot pene ſunt decreti verba. Quid enim, Geni, cenſes de varietate illa anni & Conſulum, quibus decretum tribuitur? cum Fazellus anno V. C. CCCCLXXXIII. latum ſcribat, Maurolicus anno CCCCXC. Bonfilius ſine vllo exemplo in annum CCCCXLIII. Bolognetus verò in CCCCLXXXVII. reijciat. adde quod, quemcumque ex his annum eligas, nuſquam eius anni Conſules App. Claudium & Q. Fabium, ſed alios atque alios reperies. Dicarchus hic, vera ne hæc ſunt, Geni, inquit, quæ Momus affert? In hoc vero diſſoluendo nodo, inquam, vt ingenue & candide agam, inſudandum aliquid eſt, Dicarche. vix enim eſt, vt inter omnes aduerſariorum machinas hoc ariete firmius aliquid in illorum armamentario inuenias. cum præſertim aliquorum vel non recte referentium decreti verba, vel de ſuo etiam non nihil mentientium iniuria difficiliorem tractationem reddiderit.

Corſett. pagin. 63.

¶ Itaque neceſſarium eſt, intendere mentis oculos in eam conſiderationem, quam, quia nullus hactenus vel aduertit, vel adamuſſim expendit, implicatam & obſcuram hiſtoriam hanc tenuit. Quotquot enim eam attigere, videntur ita ſenſiſſe, Senatuſconſultum hoc (quod priuilegium, decretum, rogationem, plebiſcitum, legem promiſcue appellabo, faſtidij & ſatietatis euitandæ cauſa) App. Claudio Caudice & Q. Fabio, ſeu M. Fuluio, ſeu quiſquis ille fuit alter collega, anno V. C. CCCCLXXXIII. vel, vt alijs placet, anno CCCCIXC. latum eſſe, vt proinde, quo primum anno Appius à Mamertinis accitus, eiſdem opem tulit, eodem datam immunitatem cenſeant. qua in re falſos eos eſſe exiſtimo. ſum enim in ea ſententia, vt credam, rogatam eſſe legem hanc M. Valerio Meſſala & M. Octacilio Craſſo Coſſ. quod vt crederem, duæ me res potiſſimum coegere. Prima quia in ipſo decreto legitur, Hieronem Syracuſanorum Regem ab Appio Conſule acie fuſum, fugatumque centum argenti talentis pacem à populo Romano redemiſſe. Atqui certiſſimum eſt, id minime referri poſſe ad Appij & Quinti conſulatum, ſed ad horum ſucceſſores Meſſalam & Craſſum, quibus Coſſ. cum Hierone bellum ijs legibus compoſitum

eſt,

eſt, vt & loca & captiuos reſtitueret, & centum inſuper argenti talenta ærario populi Romani ſolueret. quod ex Diodoro, * Polibio, * Zonara, * Sigonio, * & Vinando * notius eſt, quam vt hic eorum integros locos proferre neceſſe ſit. Eo fit, non recte Appium eius decreti auctorem dici, quod pacis poſt annum ab eius conſulatu initæ meminerit. Quid verò, ſi Eutropium * ſequamur, qui non ſecundo belli Punici anno, quod paulo ante dicebam, ſed tertio pacem Hieroni datam ſcribit? Aliud his accedat, quod Cn. Atilius H. F. C. N. Calatinus Tribunus pl., quo approbante immunitas decreta eſt, magiſtratum illum geſſit Meſſala & Craſſo Coſſ. quod Stephanus Vinandus annotauit in doctiſſimis annalibus, quos de S. P. Q. R. magiſtratibus ſcripſit. App. verò Claudio & Q. Fabio, ſeu M. Fuluio Coſſ. inter eius anni pl. Tribunos nullum Cn. Atilium Calatinum legimus, ſed Cn. Atilium M. F. M. N. Regulum Serranum. Hiſce coniecturis magnam, vt puto, lucem afferunt eiuſdem priuilegij verba. hoc enim ſummatim habent. App. & Fabio Coſſ. populum Romanum Meſſanam recepiſſe. Poenos & Hieronem acie debellaſſe, tanta celeritate, vt hi victos ſe priuſquam congreſſos didicerint. demum eos pacem poſcentes, centum argenti talentis multatos accepiſſe, eas ob res vrbem multis auctam eſſe beneficijs Cn. Atilio Calatino Tribuno pl. approbante. quaſi illa ſit decreti mens, vt prima populi Romani in Siciliam expeditio Appij Conſulis auſpicijs geſta eſſe ſignificetur, pacem verò cum Hierone initam, immunitatem, cæteraque ornamenta aliquo poſt interuallo decreta agnoſcamus. neque enim eo fit Conſulum illorum mentio, vt dudum aliqui ſenſere, quod in eorum magiſtratu rogatio ſit lata, ſed vt inde cognoſcatur, quo primum anno Mamertini populum Romanum ex Italiæ finibus euocauerint, & benemereri cum ea republica cœperint.

* lib. 23.
* lib. 1.
* tom 2.
* in Faſtis anni 490.
* in Faſtis anni 490.
* lib. 2.

¶ Igitur decreti verba eadem pene mente accipienda cenſeo, quo Liuianam Epitomen, L. Florum, Oroſium intelligendos recta ratio ſuadet. Etenim hi Scriptores, qui breuiaria annotarunt, cum nullam fere temporum rationem habeant, neque ſuos quibuſque rebus geſtis annos, aut conſules exacte affigant, multa per imprudentiam vni tribuere videntur, multa ſæpe confundere, quæ ex alijs iuſtæ hiſtoriæ

Scripto-

Scriptoribus diuerſos auctores, diuerſa tempora ſortita eſſe, certo deprehendimus. adeoque rectiſſime Ioannes * Lucidus monuit, eos, qui neglecta temporum ratione res geſtas litteris tradidere, merito reprehendi poſſe. & Panuino * tantundem eſt, annorum ordinem ex hiſtoria tollere, atque ſi ex baſilica regio ſumptu ac ſplendore ædificata lucem adimas. iuſtiſſime etiam Ioannes Stadius * indignatur, Liuio, locupletiſſimo nempe rerum Romanarum hiſtorico, L. Florum, vt inopem ſucceſſorem datum, ita tumultuarium Scriptorem, qui rerum geſtarum ſeriem, qui temporum diſtributionem, qui Imperatorum nomina & munia, aut perturbat frequenter, aut permiſcet. Sicuti igitur Liuianam Epitomen, * quæ res geſtas libri decimiſexti breuiſſime his verbis complectitur. *Origo Carthaginienſium & primordia vrbis eorum referuntur. contra quos, & Hieronem Regem Syracuſanorum auxilium Mamertinis ferendum cenſuit Senatus, cum de ea re interſuadentes, vt id fieret, diſſuadenteſque contentio fuiſſet. tranſgreſſis tum primum mare equitibus Romanis aduerſus Hieronem ſæpius bene pugnatum. petenti pax data eſt. res præterea contra Vulſinios proſpere geſtas continet.* Florum * etiam, qui eiuſdem belli initia & progreſſus deſcribens, hæc habet. *Nec occaſio defuit, cum de Poenorum impotentia foederata ciuitas Meſſana quereretur. affectabat enim, vt Poenus, ita Romanus Siciliam, & eodem vterque tempore votis ac viribus imperium orbis ambiebat. igitur ſpecie quidem iuuandi ſocios, re autem vera ſollicitante præda, quamquam territaret rei nouitas, tanta tamen in virtute fiducia eſt, ille rudis, ille paſtoricius populus, vereque terreſtris oſtendit nihil intereſſe virtutis, equis an nauibus, terra an mari dimicaretur. App. Claudio Conſ. primum fretum ingreſſus eſt fabuloſis infame monſtris, æſtuque violentum. ſed adeo non eſt exterritus, quin ipſam illam ruentis æſtus violentiam pro munere amplecteretur, ſtatimque ac ſine mora Hieronem Syracuſanum Regem tanta celeritate vicit, vt ille ipſe ſe prius victum, quam hoſtem videret fateretur.* Vt igitur authores iſtos, qui tum belli auſpicia atque progreſſus, cum etiam pacem cum Hierone initam, vni Appio videntur accepto ferre (quod & Oroſius ſenſiſſe viſus eſt) ex alijs hiſtoricis Polibio, Diodo-

* in præfat. lib. de temp.
* in præfat. ad Faſtos.
* in præfat. ad notas in Florum.
* lib. 16.
* lib. 2. c. 2.

ro, Zonara, qui latius, atque etiam accuratius eas res deſcripſere, ita ſupplemus, atque explicamus, vt in eius belli partem M.Valerium Meſſalam vocemus, & M.Octacilium Craſſum, quibus prouinciam obtinentibus pleraque Siciliæ oppida in fidem populi Romani venere, & cum Hierone fœdus eſt initum ſecundo belli Punici anno; eadem ratione tabulas has noſtras ita interpretari debemus, vt ſentiant, populo Romano à Mamertinis in Siciliam euocato Appio & Quinto Coſſ., Appij Conſulis auſpicijs victos adeo debellatoſque Poenos & Hieronem eſſe, vt prius ſe victos quam congreſſos didicerint. poſtmodum verò, altero ſcilicet anno, M.Valerio & M.Octacilio Craſſo Coſſ. horum authoritate cum Hierone bellum eſſe compoſitum, ex partis vtriuſque commodo, earumque rerum gratia Mamertinos belli ſocios ijs, quæ in tabulis deſcribuntur, beneficijs ornatos eſſe. At enim, inquit hic Calliſtratus, conſtans fama, & ſcriptorum ſenſus ad hanc vſque diem non niſi App. Claudio & Q. Fabio priuilegium hoc adſcripſere. Et ego. Mirari deſines, Calliſtrate, inquam, ſi illud inſpicies, in ſtudijs & id genus opinionibus ſeligendis ſententiam mutare impune ſemper fuiſſe. Diei enim, vt ille dixit, prioris magiſter eſt dies poſterior.

¶ Tandem verò, inquit Momus, hæc facile mihi perſuaderes, Geni, niſi rogationi, de qua diſceptamus, annus affixus eſſet, diuerſus quidem ille, pro diuerſa exemplarium, vel ſcriptorum ſententia, ſed qui tamen, quæcumque amplectenda ſit opinio, nuſquam in M. Valerij & M. Octacilij conſulatum incurret, ſed Claudium & Fabium ſeu Fuluium, vel alios conſules habebit. Tum ego. Huic argumento, Mome, ſuo loco occurram, cum de annorum calculo erit ſermo. interim vero, ſi hæc vera ſunt, vt veriſſima eſſe ſubtilius indaganti conſtabit, non eſt quod amplius cum Corſetto in ea inueſtigatione laboremus, an Appio, qui author legis ferebatur, Q. Fabius collega fuerit, an M.Fuluius. neque item diſputandum, an prioris belli Punici initia in annum V. C. CCCCXLIII. vel CCCCLXXXIII. vel CCCCIXC. reponenda ſint. cum enim ex his, quæ paulo ante dicebamus, conſtet, rogationem hanc Cn. Atilio Calatino Tribuno pl. latam eſſe, quem anno CCCCXC. magiſtratum illum geſſiſſe *Corſett. pagin. 64.*

ſe Scriptores notant, fit inde, vt diſputationes eiuſmodi ſuperfluæ atque extraneæ cenſendæ ſint. parui enim ſcire refert, Appio ne Q. Fabius, an M. Fuluius in conſulatu collega fuerit; item an belli Punici origo in annũ CCCCLXXXIII. an in CCCCIXC. inciderit; ſi pro certo ſtatuimus, priuilegium hoc M. Valerio Maximo Meſſala & M. Octacilio Craſſo Coſſ. irrogatum eſſe. Inde etiam planiſſime fit ſatis argumentationi, quam in ingreſſu tractationis obijciebas, quam etiam ridicule ne, an impudenter Littara excogitauit, cum dixit, immunitatem à populo Romano adipiſci Mamertinos minime potuiſſe, vel non iure aut rite accepiſſe, cum nulla Siciliæ pars, Meſſana excepta, Claudio & Fabio Coſſ. penes populum Romanum eſſet. nam, vt permittam, vim habere aliquam argumentum, ſi Appium & Quintum authores priuilegij facerem, profecto cum euidentiſsime docuerim, M. Valerio & M. Octacilio Coſſ. latum eſſe, non eſt quod aduerſarij ſpem vllam reliquam habeant. conſtat enim ex Polibio,* Diodoro,* Eutropio,* & Zonara,* hos ipſos Conſules in Siciliam miſſos quinquaginta vrbes in fidem ac ditionem populi Romani recepiſſe, & in ijs Catanam, Tauromenium, Segeſtam vt infra ſuo loco latius dicetur. recte itaque decerni Mamertinis immunitas potuit ab ijs oneribus & tributis, quæ ad belli impenſas Romanus victoris iure ijs ciuitatibus vel indixerat vel indicere potuiſſet. recte eam prouinciæ partem, quam fide vel armis quæſierat, certis legibus ac moribus ordinare.

Littara pag 32.

* *lib. 1.* * *lib. 23.* * *lib 2.* * *tom. 2.*

¶ Verum, & ſi ex his ſatisfactum aduerſarijs cenſeam, tamen vt faſtidium tibi moueam (noui enim te tuoſque aſſeclas ſatis putide delicatulos eſſe) non eſt, quod ex illa diei & Conſulis varietate tantam ſuſpicionem haurias. nam quod ad Conſules attinet, in quorum magiſtratu lata lex eſt, haud plane crediderim, tuos hos patronos laborare, vt negent, aliquo tempore collegas fuiſſe App. Claudium Caudicem & M. Fuluium Flaccum. cum faſti omnes paſsim hos Conſules ſcribant anno CCCCIXC. & Agellius,* quem præ cæteris accuratius rem hanc expendiſſe, Ludouicus Dulcius * annotauit, ſcribat, primum bellum Punicum quadringenteſimo & nonageſimo anno Coſſ. Claudio & Fuluio ſuſceptum eſſe. Velleius * etiam in fragmentis hiſtoriæ Roma-

* *Noct. Att. lib. 17. c. 25* * *De Coſſ. RR. dignitate. in App. Claudio.* * *lib. 1.*

Romanæ. *Coepere, inquit, maiores noſtri bellare cum Carthaginienſibus ſub Coſſ. Appio & Fuluio, ducentis nonaginta ſex annis ante quam tu M. Vinici conſulatum inires.* ſimilia habet M. Valerius Max. * cum gladiatorium munus primos omnium in foro Boario Romæ dediſſe ſcribit M. & D. Brutum fratres in funebri eorum patris memoria, quod epitome Liuiana * eodem anno accidiſſe narrat, quo primum cum Poenis pugnari cœptum eſt, idque etiam Iuſtus Lipſius * in Saturnalibus agnoſcit. Ex his igitur nullus dubitandi locus relinquitur, quin anno CCCCIXC. App. Claudium Caudicem & M. Fuluium Flaccum Conſules ſtatuamus. Nam quod aduerſarij obſtrepunt, nuſquam legi conſulatum ſimul geſſiſſe Appium & Fabium, quam verum ſit alij viderint. certe Oroſius * grauiſſimus ſcriptor initia belli Punici ad App. Claudium & Q. Fabium refert. Eutropius * verò idem habet in antiquis exemplaribus, quamuis emendatiores editiones Q. Fabij loco M. Fuluium reponant. Quid, quod Caſſiodorus in Faſtis collegam Appij Q. Fuluium appellat? quem ſecutus eſt Marianus Scotus. * aut quis non videt, Fuluium Fabio affine nomen eſſe. Profectò quiuis paulo æquior iudex non tam facile noſtras has tabulas ex lege Cornelia falſi poſtulandas eſſe cenſuerit, cum eiuſdem ſententiæ duos probatiſſimos ſcriptores duces & anteſignanos, vel quod verius dixerim ſectatores habuerit. Sed neque abſurde quidam ſuſpicantur indoctum aliquem Eutropij & Oroſij fidem, atque authoritatem ſecutum, Q. Fabium pro M. Fuluio in noſtris hiſce monumentis repoſuiſſe, quod eo ſuaderi poteſt, quia nec dum per ea tempora Velleius in lucem prodierat, qui illorum Scriptorum errorem detegeret; in Agellio verò & Valerio loci, quos modo proferebam, non ita ſtatim occurrebant, vt non multa indagatione opus eſſet, quippe quorum inſtitutum nihil minus, quam perpetuam rerum geſtarum hiſtoriam ſcribendi, fuit. Ergo non negauerim, Faſtis omnibus proclamantibus M. Fuluium pro Q. Fabio eſſe reponendum, cum id præſertim tabulæ Capitolinæ doceant, ſed illud etiam crediderim, ex nominum ſimilitudine & affinitate facile in noſtra hæc, & in illos ipſos hiſtoricos vitium irrepſiſſe. quod frequentiſſimis exemplis vſuuenire docet & latè proſequitur Petrus Faber * in ſemeſtribus

* lib. 2. c. 4.
* lib. 16.
* lib. 1. c. 8.
* lib 4. c. 7.
* lib. 2.
* in Chronico.
* lib. 3. c. 12

ſtribus libris. quam meam coniecturam paulo ante Paulo Benio * probari animaduerti de hiſtoria libro tertio, quo loci de antinomia iſta differens, Oroſium, & Eutropium non ſine aliquo errore pro Fuluio Fabium legiſſe, aut ſcripſiſſe, non multum demiratur, *quia facile*, inquit, *fuit, à Fuluio ad Fabium diuertere*.

** lib. 3. de ſcribenda hiſtor.*

¶ Porro verò quod ad annorum ſupputationem pertinet, quæ potiſſima eſt aduerſariorum ratio, & tu paulo magni eam faciebas, Mome, ſic ſtatuas velim, quod & ſi tabulæ ipſæ, Bolognetus, & Maurolicus inter ſe pugnent, hæc tamen anni varietas, quam multum rei geſtę veritati nocere poſſit, non intelligo. præter quam quod haud dubie ſentio, eam anni notam, tum in hoc Cn. Atilij Calatini decreto, tum in altero, quod ab Octauio Tribuno pl. bello ſeruili latum eſt, ſpuriam eſſe & aduentitiam, ab aliquo fortaſſe literione & ſciolo adiectam, qui magnam ſe ijs tabulis fidem, vel etiam lucem aliquam allaturum, aut initurum ſe gratiam à curioſis putauit, ſi annum quo illæ perſcriptæ eſſent, ex Conſulum ſerie veluti ex vagina & inuolucro explicaret. quam coniecturam eo libentius inſecutus ſum, quod obſeruauerim, * non fuiſſe ex conſuetudine populi Romani in ſenatuſconſultis, plebiſcitis, legibus, alijſque rogationibus, aut publicis actis ſcribendis annum V. C. annotare. ſatis enim ad cognoſcendam temporum ſeriem eſſe credidere Conſulum nomina, quæ in ipſo legum & tabularum initio proponebantur. Vt enim Græcorum Epocham magiſtratuum nominibus, ita & Romanis Conſulum titulis numerare mos fuit, quo Cicero * reſpexit, cum ait, *Si quis Falerno delectetur, ſed eo nec ita nouo vt proximis Coſſ. natum velit, nec rurſus ita vetere, vt Opimium aut Anicium Coſſ. quærat*. & Seneca. * *Dedit*, ait, *duodecim faſces, non fecit ordinarium Conſulem. à me numerari voluit annum, ſed deeſt mibi ad ſacerdotium*. Prudentius * quoque ad eum ipſum morem eleganter alludit.

** Caſſiodor. in formula conſulatus Turnebus aduerſar li. 5. cap. 10. Rodulph. Forner rer. quotid. lib. 2. c 18. Couarru. var. reſol. c. 18.*
** in Bruto.*
** lib. 3. de ira cap. 31.*
** in Simmachum.*

Quamlibet illuſtres meritis & ſanguine clari,
Præmia virtutum, titulis & honoribus aucti,
Ardua rettulerint, Faſtorumque arce potiti
Annales proprio ſignarint nomine chartas.

Quem locum Iſaacus * Grangæius explicans. *De Conſulum nomi-*

** in notis ad Pruden.*

nomine, inquit, *annus nomen ſuum ſumebat. Claudian. in Panegirico Probini & Olibrij ſic ſolem aſſatur.*

ſæpe ſoles ductoribus illis
Inſtaurare vias, & curſibus addere nomen.

Sidonius * accedat, qui in eamdem ſententiam ſuum addat calculum. * Carmine 1.

Annum pande nouum Conſul vetus, & ſine faſtu
Scribere bis Faſtis.

Dicebantur enim, ait Sauarus, * *Conſules annum aperire, quia ab illis annus numeraretur.* Porro verò ſuperfluum fuerit, id quoque publicorum actorum exemplis confirmare. cum ex Sigonio præſertim animaduertere liceat, ea forma conceptas, & ſolo Conſulum nomine ſignatas eſſe Thoriam, & Seruiliam leges, Immunitatem Thermeſium Piſidarum, item & Aſclepiadis Clazomenij, & Polyſtrati Cariſtij. præterquam quod tabulas omnes antiquas, quæ ſuperſunt, Leges Imperatorum omnes idipſum docere, oculis experimur. * in notis ad Sidon.

¶ Ex quibus fit, nullam debere ſuſpicionem facere anni diuerſitatem, quam in tabulis vel ſcriptoribus noſtris obſeruamus. cum certum ſit, eam annorum deſcriptionem non fuiſſe Romanis vſurpatam. Ex quo etiam illud conſequitur, nihil obſtare, quod M. Valerij Meſſalæ & M. Octacilij Craſſi conſulatus in quadringenteſimum & nonageſimum V.C. annum inciderit, ita fieri, vt falſitatis tabulæ arguantur, quæ anno quadringenteſimo octuageſimo tertio immunitatem datam probant. cum ſatis ſuperque oſtenderim, eam annorum Epocham à ſciolo quopiam de ſuo ſuperinductam, quicquid eam veteres aliqui libri ingerant, & vir doctus in ea defendenda ſudet. Neque id nouum cuiquam videatur. nam cum multis in locis Baronius ſimilem vel exſcriptorum vel interpretum licentiam reprehendit, tum tomo præſertim tertio * de Arelatenſis Concilij tempore differens, celebratum illud eſſe, ait, ſub Siluestro Pont. Max. & Conſtantino Imperat. Voluſiano & Aniano Coſſ. *quod autem*, ſubdit, *in concilio ipſo legitur, actum eſſe circa annum Domini trecenteſimum & viceſimum ſextum, ab alijs ſuperadditum fuiſſe certum eſt, cum exploratum ſit, acta omnia eccleſiaſtica non niſi Conſulibus conſignari conſueuiſſe.* Simile eſt non * pag. 116.

* in lib. de las republ. lib 2 cap 7. par. 2.

abſimili in re iudicium Hieronimi Romani * ſcriptoris Hiſpani. is cum ante dixiſſet, annorum ordinem à natali Chriſti die, non niſi poſt quingenteſimum annum numerari cœptum, ſubdit, *Euſebij Faſtos, quos ille per Conſulares magiſtratus digeſſerat, indoctum aliquem & antiquitatis ignarum ad Chriſti nati rationem & calculum reuocaſſe*. Secundo loco & illud dici poſſet, ſatis eſſe debere rei geſtæ ſeriem & hiſtoriam veram eſſe. quod ſi in anno, vel Coſſ. Scriptores inter ſe diſſentiant, id rem ipſam minime afficere. ſic Pleſſaeo reſpondet doctiſſimus Iacobus * Gretſerus in paris exempli cauſa. *alioqui ſuſpecta fere*, inquit, *omnes orbis terrarum hiſtoria eſſent cum in his deſcribendis non recentiores modo hiſtorici ſed veteres etiam interſe pugnent*. In quam ſententiam Mattheus * Lauretus latiſſime ex Baronio docet, ſi quando in anni, vel indictionis nota error deprehenditur, vel apud Scriptores vel in ipſis tabulis ac monumentis, non ſtatim ea commentitia aut ſuſpecta cenſenda eſſe, obeloque fodienda. neque aliter diſputat, de antiquitatum Eccleſiaſticarum ſtudijs benemerentiſſimus Antonius * Caracciolus in diſſertatione de Martini funere. *Denique*, ait, *fac illum* (Gregorium Turonenſem) *male collocaſſe Atticum & Cæſarium Coſſ. eſt ne idcirco omnis illa de obitu Martini, & de eius funere ab Ambroſio procurato confutanda narratio à vetuſto adeo & graui ac ſancto hiſtorico tradita? recentiores plerique quot ſphalmata habent in ſuis Faſtis, Chronicisque? numquid ideo ea, quæ perperam aſſignatis Conſulibus narrantur, falſa eſſe exiſtimabimus?* Hęc ille.

* in Myſta Salmurienſi cap. 10.

* de exiſtentia corporis S. Benedicti apud Caſinates c. 10. & ſeq.

* nu. 94.

¶ Et, vt hunc locum tandem abſoluam, in hac eadem belli Punici origine quam diuerſa inter ſe hiſtorici ſentiunt? Polibius * eam in annū centeſimæ & vigeſimæ nonæ Olympiadis refert, qui annus eſt quadringenteſimus octuageſimus nonus ab V. C. Halicarnaſſæus * in annum tertium centeſimæ & vigeſimæ octauæ Olympiadis, qui in annum octuageſimum ſeptimum ſupra quadringenteſimum recidit. Liuius * in annum quadringenteſimum ſeptuageſimum octauum, vel ſi mēdum eſt, quadringenteſimum octuageſimum octauū. Plinius * in quingenteſimum & nonageſimum, Velleius * videtur reieciſſe in annum quadrageſimum octuageſimum quintum,

* lib. 1.

* [illegible]

* lib. 30.

* lib. 25. c. 3

lib. 1.

quintum, cum M. Vinicij conſulatum ducentos nonaginta & ſex annos ante inc idiſſe ſcribat, & ſi Lipſius * quatuor annos eo numero eximendos cenſeat. Quod ſi inclinantis reipublicæ Scriptores conſulere placeat, Oroſius * primum bellum Punicum anno quadringenteſimo octuageſimotertio, Eutropius * quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Euſebius olimpiade centeſima vigeſimanona, ſed media, qui eſſet annus V. C. quadringenteſimus nonageſimus ſecundus incidiſſe, ſcribunt. Igitur ſicuti, qui Scriptores iſtos falſi damnaret, quod diuerſas in annorum calculo ſententias ſecuti; haud dubium ſeuerioris iudicij notam ſubiret, cum tamen illi proximiores multo quam noſtri memoriæ illorum temporum fuerint, & optimorum annalium copia inſtructiores, pari ratione neque noſtratibus ſine iniuria ſuccenſere poterit. Cauſas autem eius varietatis in annorum ſerie computanda late narrant Ioachimus * Grellius, Cleperus, * & alij quos ne te longiori diſputatione exerceam ſatis eſt innuiſſe. Sigonium * non præteribo, cuius hæc ſunt verba. *Omnis autem huius controuerſiæ cauſa inde oritur, quod, quos alij Conſules, & ſine Conſulibus Dictatores ſæpe interſerunt, eos omnino alij prætereunt, quod & infra ſuo cuiuſque in anno oſtendam, & in ſupputatione etiam Liuiana alio loco demonſtraui. eſt autem varia & inconſtans annorum apud omnes ratio vſque ad quingenteſimum fere annum*. Hæc Sigonius. Quapropter, quod è tuis aduocatis quiſpiam animaduertit, Scriptores noſtros in hac ſupputandi ratione, eam habuiſſe erroris cauſam, quia illorum nemo (libenter vtor ipſis aduerſariorum verbis maxime ſi quando elegantius aliquid & concinnius eructant) ſua tempora concordauit cum Chronologia Henrici Glareani, ignoſcendum potius, quam ridendum dixerim. putauit enim fortaſſe, Glareani Faſtos omnium inſtar eſſe, & quibus communi conſenſu Senatus litteratorum merito acquieſcat, vt proinde fruſtra Panuinius, Goltzius, Sigonius, & nupere Stephanus Vinandus laboraſſe videantur, ſi non ſuas etiam ipſi rationes ſecundum tabulas Glareani ſubduxerint. memini tamen, me apud Grellium * legiſſe illius ſupputationem, vti antiquiorem, ita minus veram ea, quam recentiores ex Capitolinis tabulis eruere.

* in notis ad Vell.
* lib. 4 c. 7.
* lib. 2.
* in Chronolog. ad Liuium.
* in hiſtoria exotica.
* in Faſtis anno 244.
* loc. cit.

¶ Hæc cum ego diſſeruiſſem, aſſenſus eſt Ariſtobulus. & ad Momum conuerſus, Quid tu, inquit, ad hæc Mome. Ille verò. Et ſi nodum hunc feliciter explicauerit, vereor tamen, vt eadem felicitate, quæ ſuperſunt, poſſit expedire. aiunt enim, immunitatem hanc primo bello Punico conceſſam. atqui, ſi Halicarnaſſæo credimus, incidere illius initia in annum quadringenteſimum octuageſimum ſeptimum, qui tertius eſt annus centeſimæ & vigeſimæ octauæ Olimpiadis, quo M. Fabius Pictor & D. Iunius Pera conſulatum gerebant. at ſi Polibium ſequimur, annus erit nonus & octuageſimus ſupra quadringenteſimum, qui Coſſ. habuit App. Claudium Caudicem & M. Fuluium Flaccum. Quid tum Geni dices? Ad hæc ego, cum aliquantulum tacitus ſubſtitiſſem, ille verò multo contentius vrgeret, & moram meam illa paraemia perſtringeret, gladiator in arena, tandem, Et hic maxime deſipere mihi videris, Mome, inquam. nempe telum hoc tuum inani ictu

Corſett. pagin. 69.

Irruit, & fruſtra ferro diuerberat vmbras.

quæ enim in argumentatione hac mens tibi ſit, quoduè conſilium, expiſcari non licet. &, niſi aliud doceas, non video, quid his, quæ propoſuiſti, conſequens eſſe poſſit. Momus hic primum obmuteſcere, deinde verò defixo vultu diligenter commentarios ſuos perluſtrare, ſi qua lux vbi vbi affulgeret. demum, & huius, inquit, errati culpa, ſi neſcis, temporis anguſtiæ tribuenda eſt. tota enim hæc aduocati mei ſcriptio & lucubratio, quæ monente Horatio nonum in annum premi debuerat, nono vix dum finito die abſoluta eſt. quam multa igitur eius generis deprehendi poſſe non inficias eo. ſed patere, obſecro, litteras me Panhormum perferendas dare, quibus Littaræ commentarios ſuper hac re plurium doctorum hominum ſtudijs elaboratos exhiberi iubeam. ex eo enim fonte riuuli omnes iſti promanant. adeoque exiſtimo itidem hic meis hiſce aduocatis contigiſſe, quod in cauis natura locis quotidie experimur, in quibus ſi quid vel Stentorea voce conclames, certe repercuſſo ſaxorum obiectu aere, ſeſeque mutuo impellente, abſolutam ſuis omnibus numeris vocem reddi fruſtra expectes, nam vel priores cantionis tuæ partes vel poſtremas velis nolis deſiderabis.

Corſett pagin. 119.

¶ Hæc quidem arbitratu tuo, interim verò pergamus, inquam.

inquam. ſcio enim, commentarios illos ſanctiori loco à Panhormitanis aſſeruari, neque eorum copiam alicui fieri, niſi Eleuſinis ſacris initiato, thure, farre, ac face adhibitis. in ijs enim Panhormitanæ dignitatis atque imperij Palladium eſſe poſitum autumant. Igitur ex his, quæ dicebas, quid deduci poſſit, non video. niſi ſi ſentias, quemcumque ex duobus authorem ſequamur, ſemper falſi ſuſpicionem ſubeſſe. ſcilicet, quia, ſi Polibio hæremus, Appius & Fuluius anno CCCCIXC. conſulatum inierunt, non verò, vti noſtrates ſcribunt CCCCLXXXIII. Quod ſi Halicarnaſſæum ſequimur, tum verò deprehendentur noſtra hæc & in annorum numero & in Coſſ. nominibus à Dioniſio recedere. Verum vt concedam Polibij ſententiam veriorem eſſe, quam Sigonius * ex Floro, Eutropio, Caſſiodoro, Tabulis Capitolinis, & Ioannes * Camers ex Plinio, & D. Auguſtino probant, non video cur ex ea re tantopere reprehendendi ſimus, cum & Eutropium & Oroſium in ſuperioribus oſtenderim eiuſdem belli Punici primordia in annum CCCCLXXXIII. reieciſſe, quibus cum Scriptoribus errare in annorum numero, cum in Coſſ. paria ſentiamus, haud tam graue eſſe piaculum crediderim, vt luſtrali aqua expiari non poſſit. Adde, & in hoc ipſo annorum numero explicando pugnare inuicem authores, neque tamen ob eam cauſam falſi reprehendi poſſe, vt latius ante oſtenſum eſt. Demum ex his, quæ ſupra diſputata ſunt, abunde huic obiecto fit ſatis. quicumque enim fuerit annus ille, quo App. Claudius & M. Fuluius Romæ Conſules fuere, ſat mihi eſt rogationem hanc noſtram anno CCCCXC. eſſe latam M. Valerio Maximo Meſſala & M. Octacilio Craſſo Coſſ. ac propterea nihil eſt, quod aduerſarij nimium inſudent, in expendendis Polibij & Halicarnaſſæi ſupputationibus, circa primam belli Punici originem, vel Appij & Fuluij conſulatum.

** in Faſtis anni 489.*

** in notis ad Florum lib. 2. cap. 2.*

¶ Hoc loco Momus. Quando per aduocati mei imprudentiam ſalus tibi affulſit, reliqua perſequor, inquit. Nam ſicut auiditate gloriæ Mamertini Fratres ſe populi Romani probant, ita neque ijs quidem deuicti hoſtis laudem concedunt. imo totam atque integram ſibi ita arrogant, vt Romanum admiratorem potius Mamertinæ virtutis, quam adiutorem fuiſſe glorientur. Atqui Polibius diligentiſſimus eius

Corſet pag. 65. 66. 67.

eius belli Scriptor Mamertinos terra marique obſeſſos docet. contra vero Romanos & pugnam cum Hierone & Pœnis magno animo iniſſe, & hoſtem profligaſſe. quæ qua ratione inter ſe cohæreant, plane non agnoſco. Scilicet inquam ego ineptiſſimos hominum, te iudice, fuiſſe Mamertinos oportuit, qui tam longe, tot ſtudijs, tanta contentione expetitis, ac vix tandem impetratis Romanorum auxilijs, cauſæ ſuæ ipſi deeſſe maluerint, auxiliaribuſque copijs eos adiuuare veriti ſint, ſed otioſi potius è ſummis arcibus & mœnijs belli fortunam ſpectauerint. Accedit, quod ſi ante Conſulis aduentum potuere Mamertini vel dolo vel armorum vi, (quis enim in hoſte dolum aut fraudem deſideret) arcem maximam & munitiſſimam à Pœnis extorquere, eoſdemque vrbe eijcere, quod Polibius fatetur, credendum eſt, ſociorum aduentu auxilijſque confirmatos neutiquam veritos eſſe etiam cum hoſte confligere. Tandem noſtros cum Appio ſimul communis aleæ periculum ſubijſſe, ac bellum confeciſſe, agnoſcit Ioannes * Gerundenſis Epiſcopus, cum ait, *Appium Mamertinis auxilio miſſum communiter contra Hieronem & Pœnos bellum geſſiſſe.*

* Paralip. Hiſt. Hiſp. lib. 4.

¶ Quod ſi fortaſſe quem moueat, quod Polibius, Romanos vbique rem totam confeciſſe, ſcripſerit, Mamertinos verò omnino præterierit; is maxime allucinatur. cum non vno vel altero exemplo docere poſſim, Scriptorum morem eſſe, vt, ſi quando plures aut populos aut Reges in vnius belli ſocietatem coiſſe ſcribunt, non continuo in ſingulis quibuſque congreſſibus populos Regeſue ſingulos ſuo nomine appellent, ſed eum tantum cuius in ea ſocietate partes primæ ac potiores ſunt, In quam ſententiam non grauabor Oroſium * teſtem proferre, qui de bello inter Romanos & Tarentinos geſto hæc habet. *Continuo Tarentinos plurimis finitimorum præſidijs fultos maxime Pirrbus auxit, qui etiam in ſe ob magnitudinem virium conſiliorumque ſummam belli, nomenque traduxit.* Vides hic, Mome, Pirrhum, qui æquo iure cum Tarentinis bellum aduerſus populum Romanum ſuſceperat, quod ſocios copiarum vi & conſiliorum prærogatiua ſuperaret, belli nomen ſibi vendicaſſe, vt nulla deinceps ſociorum apud eius belli ſcriptores ratio habeatur. neque ab hoc more Iuſtinus * recedit. Is cum

* lib. 4. c. 1.

* lib. 15.

ſcripſiſſet

ſcripſiſſet Ptolomæum, Caſſandrum,& Liſimachum commune bellum contra Antigonum ſuſcepiſſe, ſubdit poſtea, Demetrium Antigoni filium prima congreſſione ab Ptolomæo ſuperatum. reliquos verò Ptolomęi ſocios omnino ſubticet. Liuius * quoque in narratione tota belli Macedonici aduerſus Philippum geſti, ſolos Romanos rebus gerendis afſuiſſe memorat, cum tamen ij Athenienſibus, Aetolis, Rhodijs,& Attalo Pergami Rege belli ſocijs vterentur. ſoli quoque Romani expeditionis contra Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum ſuſceptæ authores recenſentur, ad quam tamen vniuerſos Græciæ populos concurriſſe, ex eodem Liuio * accepimus. Piget reliqua ſexcenta fere eius generis exempla perſequi, quia id laborioſum magis quam neceſſarium eſſe nemo non videt. Adde quod argumentandi rationem, quam ex Scriptorum ſilentio ducis, nullius pene momenti eſſe in hiſtoricis hiſce diſſertationibus, multis docet Mattheus Lauretus. * & D.Hieronimus ſubagnoſcit, cum *non eſſe contrarium*, ait, *ſi quod alius dignum quod ſcriberetur putauit alius prætermiſit*. Quod ſi Poetarum teſtimonijs delectaris, multorum loco erit Horatius. *

* lib.3[illegible]
* lib.3[illegible]
* loc. cit. c. 10.11.12.
* lib.4.ode 9

non ſemel Ilios
Vexata non pugnauit ingens
Idomeneus Sthenelusque ſolus
Dicenda nobis prælia non ferox
Hector vel acer Deiphobus graues
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnone
Multi ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro.

Accedit & illa ratio, quod ſi eiuſdem fere ætatis Scriptores res geſtas interdum non eodem modo enarrant,vt in hoc ipſo belli Punici ingreſſu Polibius diſſentire ſe à Filino ingenue teſtatur,& Zonaras etiam à Polibio,& Sex.Aurelius Victor ſeu L.Cornelius Nepos ſeu quiſquis illius ſcripti ſit author diuerſiſſimam ab alijs narrationem affert in App.Claudij elogio, nihil mirandum, ſi Polibius aliquid ſubticuerit, quod tabulæ noſtræ expreſſius indicarint. Porro illud, quod

veluti irridet, Corſettus Romanos admiratores potius, quā adiutores Mamertinæ virtutis fuiſſe, quam iure reprehendendum ſit, vix agnoſco. cum ea verba non niſi officioſam bene affecti in Mamertinos Romani Senatus teſtificationem contineant. qua licentia Florus, Oroſius, Iornandes eandem Appij expeditionem, quam tanta rerum varietate & animorum contentione abſolutam Polibius, & Zonaras docuere, illi celeriter adeo confectam ſcribunt, vt Hieronem dixiſſe ferant, antea ſe victum quam congreſſum eſſe cognoſceret.

¶ Et vero, inquit hic Momus, obiectum hoc vix tanti vnquam æſtimaui, vt id chartæ illinendum putarem. Illud magnopere mouet me, quod veſtræ iſtæ tabulæ Mamertini agri fines à Leontinis ad Pactas vſque extendant. quod quam verum ſit ex Fazello cognoſces diligentiſſimo Sicularum rerum ſcriptore, qui antiquiorem Pactarum mentionem in annum MXCIIII. reijcit. Ptolomæus enim, qui Antonino Imperat. æqualis fuit, in Siciliæ tabula nullas Pactas agnouit, vt neque etiam Plinius, aut Pomponius Mela. cum tamen ij Tyndaridis vrbis & Thimeti fluminis meminerint, inter quæ loca Pactæ poſitæ ſunt. Polignotus hic leuiter ſubridens, Haud quidem, inquit, Mome, geographiæ gnarum te exiſtimabam. deinceps vero pluris à me fies. & ille. Num triobolî tibi homo ſum? ſane modo animum noſtris his concertationibus adieceris, hic ipſe Genius magno ſuo malo te docebit, quantum in ea diſciplina tum ſtudio, tum rerum vſu ſim conſecutus. At non recte, inquam ego, Mome, tabulas legiſti; illæ enim alterum Mamertini agri limitem non Pactas, ſed Fœdas appellant. quod ſi à me quæras vbi gentium iſtæ Fœdæ ſint, ſi me id ignorare ingenue dixero, non video cur reprehendi poſſim, cum & vetuſtatis vitio & oppidorum atque vrbium ruinis loci memoria intercidere, vel etiam librarij culpa certo ac proprio oppidi nomine reiecto erroneum reponi potuerit. ipſa certe exemplorum varietas id facile perſuadet. fieri etiam potuit, vt qui eas tabulas exſcripſere, limitem illum recentiori appellatione deſignarint. An verò ſi Romani in his ipſis tabulis Hieram, Naulochos, vel Dianium, quæ loca in Meſſanenſi agro circa Mylas fuiſſe Appianus * ſcribit, terminum Mamertinorum ditioni ſtatuiſſent,

* de bell. ciu. lib. 5.

tuiſſent, ſuſpectas hoc nomine tabulas cenſeres, quod illorum locorum memoria ad nos minime peruenerit. minime certe. habent enim vrbes & oppida interitus ſuos, &, vt Rutilius * dixit, * *in Itiner.*

Non indignemur mortalia corpora ſolui
Cernimus exemplis oppida poſſe mori

& Seneca. * *Non vides*, ait, *quemadmodum in Achaia clariſſimarum vrbium fundamenta conſumpta ſunt, nec quicquam extat, ex quo appareat ea ſaltem fuiſſe*. quod ipſum in Sicilia quotidie oculis experimur, & Fazellus pluribus locis deplorat. Inde Glareani * illud iudicium eſt, cum de Anitorgi Hiſpaniæ ciuitate loqueretur in notis ad Liuium. *Multa ſunt*, inquit, *nomina vrbium apud hunc authorem, præſertim Hiſpaniarum, quæ non temere apud alios reperies, vel, vt multi exiſtimant, quod pleraque defecerint longa ætate oppida, vel, vt ego puto, corruptis temporum iniuria codicibus. hoc in vniuerſum vno verbo dicere volui, ne lector nimium ſe torqueat*. Quid, quod non abſurde quis poſſet dicere, etiam ne magnum illud fuerit dicere, Fœdas vel Pactas, quæcumque illæ fuerint, non oppidi non ciuitatis, ſed ignobilis vici nomen fuiſſe, vel etiam loci nullo incola frequentati, adeoque potuiſſe Scriptorum calamos effugere. An etiam ſi

* *epiſt. 92. ad Lucil.*
* *in notis ad Liuium dec. 3. lib. 59*

Saxum antiquum ingens, campo qui forte iacebat,
Limes agro poſitus litem vt diſcerneret aruis,

id nominis antiquiori æuo habuiſſet, etiam num illud integrum, ipſiſſimumque in finium regundorum iudicio exhibere opus eſſet? Iam verò Mamertinæ ditionis ampliſſimos fines fuiſſe, cum primum Romani Siciliam ingreſſi ſunt, facile perſuadebit Plutarchi in Pirrho locus. *Pirrhus*, ait, *cum premerent mirum in modum Mamertini Græcos, nonnullos inſuper vectigales feciſſent, (erant enim numeroſi & pugnaces. vnde vocabulo Latino dicti ſunt, quaſi Martiales) exactores tributorum comprehendit necauitque, illos acie fudit, oppida eorum pleraque excidit*.

¶ Quod vt clarius oſtendam, Mome, & ne mihi ſæpius eædem res inculcandæ ſint, iuuat paulo altius repetita origine Siculæ reipublicæ faciem, qualis à Pirrhi dominatu vſque ad Romanos fuit, ob oculos ponere. quæ res plurimum

momenti afferet, cum ad ea quæ in præſentiarum à me diſputantur, tum ad ea quæ deinceps explicanda ſunt. Agathocle Syracuſarum Rege defuncto Syracuſani popularem ſtatum adepti, cum ne tum quidem * ſub Prætorum magiſtratu quiete agere poſſent, legatos ad Pirrhum ex Lanaſſa vxore Agathoclis generum miſere, qui Syracuſanum Regnum ei pollicerentur. præſertim cum ab Carthaginienſibus grauiſſimo bello id temporis premerentur. Ille non negligendam eam occaſionem ratus, cum Mamertinos inter & Poenos initum fœdus * eſſe ſciret, quo ſibi Siciliæ ingreſſum prohiberent, Tarento ſoluens ad Locros appulit. inde traiecto freto ad Tauromenitanos delapſus, Catanam primum, inde Syracuſas pergit. Rerum à Pirrho geſtarum gloria & nomẽ cum Siculorum animos occupaſſet, veluti oeſtro percitæ Siciliæ ciuitates Regi ſe dedunt. Tum verò Pirrhus Mamertinos primo grauiter vrgere bello, poſt in Carthaginienſium vrbes impetu facto Selinuntios, Halyciæos, Ægeſtanos, Æginos in fidem recipere. Heracleam, Azores, Ericem, Panhormum vi capere. totam denique Carthaginienſium ditionem, * Lilibœo excepto, ſuæ poteſtatis & arbitrij facere. & iam ille maiora animo voluens, vt ſpes ſpem alit, Africam meditabatur, cum Tarentini & Samnites anno V.C. CCCCLXXVII. à Q. Fabio Gurgite magno prælio victi, quod rebus ſuis plane diffiderent, Pirrhum è Sicilia reuocauerunt. Quo circa eo diſcedente, quia victus veluti fugere videbatur, ſocij eius omnes partim ad Carthaginienſes, partim ad Mamertinos * defecere. Hi, quod inimicitias cum Pirrho geſſiſſent, Poeni quidem educta claſſe aliquot eius naues cæpere, Mamertini vero tranſmiſſo in Calabriam exercitu, extremum Regis agmen in anguſtias coniectum à tergo & à lateribus adorti plures hoſtium cæcidere, Rex ipſe, cum ad prælium accurriſſet, grauiſſime vulneratus pro cæſo habitus eſt. Poſt Pirrhi diſceſſum Mamertini * non modo ciuitatem ſuam & agrum tutabantur, verum & finitimas pleraſque Syracuſanorum ciuitates maxime infeſtabant. multas etiam Siciliæ vrbes tributarias fecere. præſertim cum integræ adhuc vires eſſent Romanæ legionis, quæ anno CCCCLXXIII. Rhegium occupauerat. Inde, opinor, ortæ inimicitiarum cauſæ, quas poſtea cum Syracuſanis exercue-

* *Diod. lib. 22. cap. 7. & 11.*

* *Diod. l. c. cap. 8.*

* *Diod. l. c. cap. 14.*

* *Plutarch. in Pirrho.*

* *Polib. li. 1*

re. Itaque ex duobus horum Prætoribus Hiero primam expeditionem in Mamertinos * ſuſcepit, vt eo præſertim facinore à ſuis iniret gratiam, & veluti viam ad regnum ſterneret. *lib. 22. c. 15.* Cauſam belli cum eam prætexuit, quam ante dixi, tum quod Camerinam & Gelam * Syracuſanæ ditionis oppida Mamertini excidiſſent. ** Diod. lib. 23. c. 2.* Caſtris igitur iuxta Centoripen poſitis, ac ſtrictis circa Cyamoſorum flumen aciebus, gregarium & conductitium militem Mamertinis hoſtibus obiectum deleri * patitur. deinde cum eo aſtu ſeditioſo milite exercitum purgaſſet, magna ſtipendiariorum multitudine collecta rebuſque diligentiſſime compoſitis, ex hoſtico digreſſus citato itinere Mylas vi expugnat, mille & quingentos milites in poteſtatem redigit, & confeſtim alijs locis ſubactis Ameſalum verſus concedit, quod inter Centuripinos & Agyręos iacet. ** Diod. lib. 22. cap. 15. Polib. lib. 1.* id quamuis firmum oppidum eſſet, expugnat. agri partem Centuripinis, * partem Agyræis donat. Haleſam ſibi deditione adiungit, ab Tindaritanis, & Abacæninis propenſe acceptus, his etiam ciuitatibus potitur. ** Didor. d. cap. 15.* Mamertinos in anguſtum cogit locum. à pelago enim Siculo propinquam Meſſanæ Tauromenitanam vrbem habebat, & ab Hetruſio mari oppidum Tindaritanum. In Meſſanam etiam irruptione facta, ad Loctanum, ſiue vt Polibius ſcribit ad Longanim amnem contendit. peditum decem millia habebat equites mille & ducentos. * obiecerunt autem illi copias ſuas Mamertini peditum octo millia, equitum . . . . cum in æquilibrio pugna diu eſſet, Hiero ducentis Meſſenijs fortitudine ſtrenuiſque factis præcellentibus (exules hi erant ab aduerſa factione vrbe eiecti) & quadringentis alijs vicinum collem circumire iuſſis, & à tergo incumbere, Mamertinos fundit, fugatque. ** Diod. l. c.* quo metu perculſi vrbem pene Hieroni dedidiſſent, ni mature Annibal Punicæ claſſis Dux, quæ tam inde præteruehebatur, deluſo per aſtum Hierone, & tantiſper expectare iuſſo, præſidium interim oppido intuliſſet. Verum deinde, cum Pœni non minus quam Hiero Meſſana excidiſſent, ſocietatem inter ſe pacti, communibus viribus * Mamertinos oppugnare ſtatuerunt. ** Diod. l. c.* Quare cum grauior Hierone hoſtis Mamertinis acceſſiſſet, ad Romanorum auxilia confugere tutius rati ſunt, quos cognatione attingebant. Hi veriti, ne Carthaginienſes

per

per eam occaſionem tota Sicilia potirentur, cum cætera præter Meſſanam & Syracuſas obtinerent, ferendam Mamertinis opem cenſuerunt. Appius igitur ſuppetias ferre iuſſus, cum in Siciliam traieciſſet, ſiue tum Annonem Pœnum arcis præfectum Mamertinis approbantibus carceri addixerit, ſiue iam ante Conſulis aduentum Mamertini hoſtes arce exturbaſſent, cum Hierone primum, cum Pœnis poſtea dimicatione facta, hoſtes in fugam vertit, obſidionem ſoluit. Conſtat ex Filino, * poſt id prælium, Hieronem adeo timore perculſum, vt non modo caſtris incenſis Syracuſas profugerit, verum etiam munitiſſima quæque loca, quæ in Mamertinorum ditione ſita erant, dereliquiſſe. Carthaginienſes etiam pari metu perterritos, in ſua oppida ſe recepiſſe. Appium vero & Syracuſana & Carthaginienſi prouincia deuaſtata, Syracuſas ipſas tandem obſediſſe. Incta obſidione locorum imperitia irretitus Conſul pene captus fuiſſet, niſi pacis conditiones per aſtum obtentas, ita protraxiſſet, vſque dum in tutiora loca ſe reciperet. Inſequenti anno aduentu Coſſ. M. Valerij Maximi & M. Octacilij Craſſi, pleræque ciuitates cum Syracuſanorum, tum Carthaginienſium ad Romanos defecere. inde obſeſſis iterato Syracuſis, Hiero in eas anguſtias redactus, vt pacem redditis vrbibus, * promiſſiſque pecunijs ægre tandem impetrauit. Pace firmata Coſſ. ad alias Pœnorum vrbes copias admouere. Segeſtam & pleraſque alias in fidem accepere, ex Polibij, & Zonaræ ſententia, quamuis ex Capitolinis tabulis, Plinio, & Eutropio eas ciuitates, non deditione, ſed vi captas, expugnataſque alij opinentur, indeque M. Valerij triumpho locum fuiſſe. Atque is erat tum vrbium Siculorum ſtatus.

* apud Polib. lib. 1.

* Diod. lib. 23. cap. 5. Zonar. tom. 3.

¶ In qua veluti picta tabula, velim etiam atque etiam mecum animaduertas, Mome, Primum non contemnendas fuiſſe ea tempeſtate Mamertinorum vires, qui Pirrhum Epiri Regem, formidatum Romanis hoſtem, vel deſpexerint, vel acie fuderint. qui cum Hierone, Siciliæ totius viribus inſtructo, non ſemel æquo marte pugnauerint. qui bonam vrbium Siculorum partem ditione tenuerint. Vides Mamertinos Gelam vſque & Camerinam profectos, eas vrbes ſolo æquaſſe. Vides vltra Centoripen ducto exercitu, Hieronem

profli-

profligaſſe, Mylas etiam tum ſub noſtrorum imperio fuiſſe, Aleſam, Ameſalum, Tindaritanos, Abacæninos. Vides Hieronem pace impetrata vrbes, quas ademerat, fœderis lege reddidiſſe. has vero qui Mamertinorum ditionis fuiſſe neget, is proculdubio in clariſſima luce cæcutit. neque enim eas Romanis ademiſſe Hiero potuit, qui ante pacem Hieroni datam, nullum in Sicilia ſuæ ditionis oppidum haberent. nam quis non videt Appium hoſtium prouinciam tantum excurſione facta deuaſtaſſe, nullam vrbem nullum oppidum cæpiſſe? De M. Valerio & M. Octacilio maior eſſet dubitandi ratio. quorum aduentu plures vrbes ad eos defeciſſe, paulo ante dicebam. Atqui neque his prouinciam obtinentibus legimus, Hieronem loca vlla populi Romani bello cæpiſſe. reſtat igitur vt ea oppida, quæ Hieronem reſtituiſſe, Zonaras * ſcribit, Mamertinorum fuerint, adeoque iiſdem pace firmata reſtituta ſint. Secundo loco illud conſideratione digniſſimum eſt, Siculas vrbes ea tempeſtate partim Carthaginienſibus, partim verò Syracuſanis, & Mamertinis paruiſſe. adeoque erraſſe deprehenditur Fazellus, qui ſub initia Hieronis Regis liberas fuiſſe aliquas ciuitates opinatur, quæ ſuis legibus ſuis magiſtratibus vterentur. Quæ enim hæ fuiſſe poſſunt, ſi reliquæ omnes vel Mamertinorum vel Syracuſanorum vel Carthaginienſium imperio & ditione tenebantur? Tertio illud quoque diligenter expendas, velim, dubium inter Scriptores eſſe, an M. Valerius vi ac bello cæperit eas vrbes, de quibus ſuperius dixi, an ciuium fide & voluntate. nam Eutropius, quem pro priori ſententia Sigonius * laudat, hoc ſolum habet, *M. Valerio & Octacilio Coſſ. à Romanis magnas res eſſe geſtas. Tauromenitanos, Catanenſes & præterea quinquaginta ciuitates in fidem acceptas*. qui locus ex verbi proprietate diuerſam potius ſententiam confirmat. Epitome vero Liuiana libri 16. nihil ad rem facit, ait enim, *res præterea contra Poenos Vulſinios proſpere geſtas continet*. id vero ad Appij tempus referendum puto, quem quia cum Hierone ſæpius bene pugnaſſe dixerat, ſubdit poſtea, etiam contra Poenos res proſpere geſtas eſſe. non igitur hoc loco Epitome de M. Valerio id dixiſſe cenſenda eſt, ſed de Appio potius. idque ex Vulſiniorum mentione elicitur, quos ab M. Fuluio, Appij Collega deuictos

* tom. 2.

* in faſtis anni 489.

anno

anno CCCCIXC. Sigonius probat. Tandem animaduertas licet, extremum Mamertinæ diœceſis ad Occidentem limitem, in noſtris tabulis Fœdas ſeu Fœdus appellari. an ipſum eundem, vbi nunc Pactæ poſitæ? profecto cum nomen neutiquam abludat, non abſurdum eſſet ita opinari. frequentiſſimæ enim ſunt recentiorum nominum locorum oppidorumue ex veteribus originationes. Fieri igitur potuit, vt inito contra Pirrhum inter Carthaginienſes & Mamertinos fœdere, de quo Diodorus meminit, circa hæc ipſa loca fines vtriuſque Prouinciæ poſiti ex fœdere ſint, eodemque fœderis nomine appellati. quos poſterior ætas Italico idiomate Pactas dixerit. Suadet id quoque, quod Tindaritani, qui paulo interiorem tractum tenebant, item Abacænini, quos prope Tripim doctiores locant, intra Meſſanenſem ditionem fuiſſe Diodorus indicat. vlteriora verò à Pactis loca Carthaginienſium prouinciæ ceſſiſſe, non vnus aut alter apud authores locus euincet. Tam multa, inquit hic Momus, vno ſpiritu agglomeras, Geni, vt quid primum, quid vltimum proſequar ignorem. ſed vt eundem, quem cæpi, locum diutius vrgeam, quod tandem tibi perfugium erit, ſi ex eodem, quem proferebas, Diodoro oſtenderim Tauromenium, Megaram, Leontinos ab M. Valerio & M. Octacilio Coſſ. Hieroni ex fœdere attributos? vide igitur, an eadem loca poſt pacem cum Hierone initam Mamertinæ ditionis eſſe potuerint? An non Diodorus * ita loquitur? *Et poſtquam Hiero captiuos illis reddidiſſet*, (de Conſulibus loquebatur) *permiſerunt ei, vt & Syracuſanos ſub dominio retineret, & vrbes illis ſubiectas, Acras, Leontinos, Megarenſes, Aelores, Neatinos, Tauromenios*. Id verò, inquam ego, nihil impedit ea quæ ante dicebam. & ſi enim ex eo terrarum tractu, qui Meſſanam inter & Leontinos iacet, Megaram & Tauromenium exceperint, non eo fit, alia oppida ſub Mamertinorum ditione non fuiſſe.

* *lib. 13. cap. 5.*

¶ Hæc cum ego dixiſſem, & hæc facile tibi conceſſerim, inquit Momus, tantum ne mihi illud contendas, quod ſolum perſonam veſtro huic priuilegio detrahit. id ſcilicet eſt dictionis & litterarum diuerſitas ab ea loquendi & ſcribendi ratione, quam Romani belli Punici tempore vſurpabant. exemplo afferri poteſt inſcriptio columnæ noſtratę in hono-

rem

ſem C.Duilij poſitæ, quam Lipſius, Gruterus, Scaliger, Velſerus integram afferunt. in qua animaduertere eſt, pro vſitato eius ſæculi more numquam reperiri geminas conſonātes, C. litteram loco G, quæ nondum in vſu erat deſeruiſſe, O pro V, E pro I, V pro B, ſæpiſſime vſurpatas. quæ ſingula in veſtro hoc S. C. deſiderantur. Tum ego. Nunc enimuero egregie vrges, Mome. nunc vere antiquitatem redoles. ſed in hac ipſa re, qua vna funditus euerti noſtra hæc monumenta cenſes, non vna tibi via ſatisfaciam. Primum non ignoro, à te eo hæc afferri, vt aduocati tui Hiſpani diligentiam & antiquitatis ſtudium laudes, qui obſeruantiſſimus vetuſtæ illius linguæ, qua Aborigines & ipſa Euandri mater olim loquebantur, pro virili deſitum hunc loquendi & ſcribendi morem ad antiquitatem reuocat. hinc ſcilicet vix fere vnquam duplicem conſonantem apud eum reperies: ſed Apiū, Apello, pro Appio, Appello. Theſalonicam, Meſinam, Analia, Flaci, pro Theſſalonica, Meſſina, Annalia, Flacci vbique ſcribit. Varonem, pro Barone, Preuilegium, pro Priuilegio, & id genus plurima, quæ in commentario omnis antiquæ eruditionis pleno occurrunt. Iam ſi iſti tantus vetuſtatis eſt amor, quid cauſæ eſt, cur non pari ſtudio in verba priſca redeamus, quibus, vt ille dixit, * Salij canunt, Augures auem conſulunt, Decemuiri tabulas condunt? Deinde ſi coniectura hæc tanti facienda eſt, conſequitur, vt ex inſcriptiones, quas Auguſtinus, Briſſonius, Gruterus, Scaliger ex antiquitatis aditis in lucem eduxere, veluti fictitiæ explodendæ ſint. cum neque ipſæ ſonent rudem illam vetuſtatem, caracterum inopiam, verborum & dictionis grandiloquentiam. Accedit, quod non nihil argueret hoc argumentum, ſi contenderemus, priuilegij dictionem eam ipſam eſſe, quæ, vt illa ferebat ætas, ære inciſa, vel de ſcripto recitata eſt. quo quia abſurdius dici nihil poteſt, ideo neque noſtrorum alicui vt id aſſereret in mentem venit. quis enim obſecro eſt, qui notiſſimum populi Romani morem in ſcribendis legibus, Plebiſcitis, Senatuſconſultis ſeruari ſolitum ignoret. nempe * S. C. illa erat formula. Coſſ. Q. Lutatio, Q. F. Catulo, M. Æmilio Q.F.M.N. Lepido. Prætore verò vrbano & Peregrino L.Cornelio . . . . . N.Siſenna. Menſe Maio Q.Lutatius Q. F. Catulus ad Senatum retulit xj. Kal. Iunias in Comitio.

* Sigon. lib. 3. ep. ad Sibur.

* Sigon. de Iure prou. lib. 1. cap. 1.

L ſcriben-

ſcribendo affuerunt L.Fabritius C.F.Sergia . . . . L.F.Popilia. Q.Petilius T. F. Sergia. Quod Q.Lutatius Q. F. Catulus Cos verba, fecit, Aſclepiadem Feſini F. Clazomenium, Polyſtratum Polyarci F.Cariſtium, Meniſcum Irenati F.Meniſcum &c. Plebiſcitum * verò ita concipiebatur. Sp. Thorius Tribunus Pl. plebem iure rogauit, plebeſque iure ſciuit. Tribus N. principium fuit. pro tribu Q. Fabius Q. F. primus ſciuit. Qui ager publicus populi Romani in terra Italia. P. Mutio. L. Calphurnio Coſſ. fuit &c. Si verò Prætor legem ferebat, * aut Conſul, is erat mos C. Seruilius Prætor populum iure rogauit, populuſque iure ſciuit. Dictator Conſul Prætor Magiſter equitum Cenſor, qui quem ciuem Roman. ſociumue Latini nominis exterarumue nationum.

*Sigon lib. 2. de Iure Ital. cap. 2.

*Sigon. de Iudiciis li. 2. cap. 17.

¶ Quid ergo tandem, inquit Momus, decretum hoc veſtrum erit, ſi neque S. C. neque Plebiſciti, neque Legis formulam præſefert, quo nomine appellandum cenſes? præſertim cum, ſi vera ſunt, quæ proxime dicebas, latum eſſe M. Valerio & M. Octacilio Coſſ. horum nomina deſiderentur, quæ ſemper alioqui in publicis actis deſcripta. Non abſurde crediderim, inquam ego, cum hoc, quod Punico bello irrogatum eſt, priuilegium, tum illud alterum bello ſeruili, reſponſa potius Tribuni pl. ex Plebiſcitis eſſe, quam S. C. vel Plebiſcita appellanda, cum in iis plura deſiderentur, quæ in aliis id genus ſolemnibus rogationibus recepta olim obſeruamus. quod ne ex me met ipſe confingere videar, iuuat afferre Fului * Vrſini eruditiſſimi viri coniecturam, quam in ſimili pene caſu, ad vetus fragmentum S. C. quod extat, de Tiburtibus adiecit. verba hæc ſunt. *cum in hoc S. C. vſitatæ formulæ expreſſæ non ſint*, (deerant autem Conſulum & Senatorum nomina, dies item & pleraque alia, quæ in S. C. adhiberi mos fuit) *exiſtimaui, reſponſum potius ex S. C. à Prætore redditum Tiburtibus, quam S. C. appellandum. Simile eſt apud Liuium lib. 8. in quo ſic ſcriptum eſt. Cum de poſtulatis Samnitium T. Aemilius Prætor Senatum conſuluiſſet, reddendumque bis foedus Patres cenſuiſſent, Prætor Samnitibus reſpondit, nec, quominus perpetua amicitia eſſet, per populum Romanum ſtetiſſe, nec contradici, quando ipſos belli culpa ſua contracti tædium capiſſet, quominus amicitia concilietur. Placet autem hoc loco ſubiungere vetus*

*In notis ad Anton. Auguſt. de legibus KR.

ſimile

ſimile S. C., quod Graece ſcriptum ſine die & Conſule refertur à Ioſepho lib.14.cap.16. L.Valerius L. F. Prætor retulit ad Senatum Idibus Decembris in æde Concordiæ, præſentibus L.Coponio L. F. & C.Papirio Quirino, de his quæ Alexander Iaſonis, Numenius Antiochi, Alexander Dorothei Legati Iudæorum viri optimi & ſocij noſtri petiuerunt. Hæc eo loco Vrſinus. Interfatus hic Criticus, At vide, inquit, ne parum in diſputando tibi ipſi conſtes. etenim paulo ante diuerſum quippiam ſtatuebas, non fuiſſe è conſuetudine populi Romani annorum Vrbis conditæ rationem habere in publicis actis conſignandis. hic vero diem & Conſulem in hiſce S. C. deſideras, quaſi non ſatis fuerint Conſulum nomina, niſi etiam dies accederet. Diem vero, inquam ego, Critice, hic de naturali ſeu vulgari intelligo, vnde & Diaria nomen ſortiuntur, non etiam de anno. nam vt recte negauerim hunc adſcribi ſolitum, non tamen recte ac iure ex publicis populi Romani monumentis diem ſuſtulerim. cum pluribus exemplis cum apud Ciceronem, tum apud alios Scriptores eum diei ſcribendi morem obſeruare liceat.

¶ Redeo igitur vnde diſceſſeram, & quod Vrſinus de S.C. illo iudicium protulit, non S. C. ſed Prætoris reſponſum ex S. C. eſſe cenſendum, cum ſolemnia S. C. non habeat, idem ego in noſtratia hæc fragmenta optime quadrare ſenſerim, vnumque illud inter vtramque ſpeciem intereſſe, quod Vrſinus Prætoris eſſe ea reſponſa cenſuit, quia horum nomina initio præferebant: verum ego eadem ratione, Tribunos pl. ex latiori plebiſcito de Mamertinorum honoribus facto (vt enim de eorum cauſa contra Poenos ſuſcipienda, cum plebe actum, ita de immunitate atque ornamentis decernendis plebem rogatam eſſe ſuſpicor,) hæc de quibus agimus decreta reddidiſſe, exiſtimo. Neque eſt quod hoc loco nimium laborem, vt in Romana hiſtoria verſatis perſuadeam, Tribunos pl. has ad populum rogationes * ferre ſolitos. nam & de Formianis, Fundaniſque municipibus, itemque de Arpinatibus, Liuius * refert, Valerium Tapponem pl. Tribunum retuliſſe, vt ijs ſuffragij latio eſſet, quia antea ſine ſuffragio ciuitatem habuiſſent. Anno quoque V. C. CCCIXL. tentatum ab L.Sextio Tribuno pl. ſcribit, * vt rogationem ferret qua coloni Volas mitterentur. per interceſſionem ta-

* Ant. Auguſt. de legib. RR lib. 1. § 7.
* lib. 38.
* lib. 4.

men à collegis factam impeditum. & vt propiori exemplo res planior fiat, Thermeſes maiores Piſidiæ populos bello Mithridatico ſocios populi Romani liberos & immunes à C. Antonio M.F. Cn. Cornelio . . . . F. C. Fundanio C.F. Tribunis plebem de ea re rogantibus, oſtendit Plebiſcitum ipſum, quod integrum apud Sigonium * habemus. Immunitates enim, vt eius generis reliqua, promiſcue tum à Prętoribus & Conſulibus, tum à plebis Tribunis rogari potuiſſe ſuadet tum ea quam dicebam Thermeſium Piſidarum immunitas, tum ea quam Aſclepiades, Polyſtratus, & Meniſcus Coſſ. Q. Lutatio Catulo & M. Aemilio Lepido iiſdemque ſuadentibus obtinuere. Non tamen negauerim, Mome, id, quod alij cenſent, tabulas haſce quas habemus reliquas, non ipſum Plebiſcitum eſſe authographum, quale Romæ latum eſt, ſed vel exemplum vel epitomen earum litterarum, quas S. C. vel Plebiſcito rogato Senatus vel Plebs ad prouinciæ magiſtratum ſcribi curabat, vt ex illis cognoſceret, quod Romæ cum Senatu, vel plebe eſſet actum. quo exemplo lego Senatum iuſſiſſe conſcribi litteras ad magiſtratus Aſiæ & Macedoniæ de immunitate conceſſa Aſclepiadi Clazomenio, Polyſtrato Cariſtio, & Meniſcis Mileſijs, vt ex ipſius S. C. verbis apparet. *Vtique Q. Lutatius & M. Aemilius Coſſ. ſi eis viſum fuerit litteras ad magiſtratus qui Aſiam Macedoniam obtinent & ad magiſtratus eorum mitterent.*

* lib. 1. cap. 10. de iure prouinc.

Cerſettus pag.

¶ Tandem verò commotior Momus hic, Quid Iano Grutero reſpondebis, inquit, quid Ioſepho Scaligero, quid Marco Velſero Viris & eruditione & antiquarum rerum cognitione clariſſimis, qui veſtra hæc S.C. vel Plebiſcita, vel ſi ita mauis Tribunorum Pl. reſponſa, nobiliſſimo elogio ſpuria appellant, adulterina, ſuppoſititia, & quid non? Certe neque horum authoritatem partium affectio fide minuit, cum odij amoriſue cauſas nullas habeant; neque nominis obſcuritas deprimit, cum in re litteraria ſui ſæculi triumuiratum veluti geſſiſſe videantur. Quid tu, Geni, inquit hic Dicarchus. ex Iouis tabulis teſtes citat, & quibus etiam iniuratis iure credendum ſit. Plane, inquam ego, rectiſſime de Viris ijs, Dicarche, ſentis, vt contineri vix poſſim, quin meritiſſimis querelis damnem temporum iniuriam, an Barbarorum in Latinum nomen inuidiam. enimuerò minus multo laboris

ris eſſet, in vetuſtis hiſce rerum memorijs conſectandis, ſi pulcherrimum illud atque antiquiſſimum Imperij inſtrumẽtum extaret à Veſpaſiano * Imperat. confectum, ex veterum inueſtigatis exemplaribus, ab exordio pene V.C. Senatuſconſulta, Plebiſcitaque omnia, complectens de ſocietate fœdere ac priuilegio cuiuſcumque ciuitatis. & ſuperciliofos iſtos Ariſtarchos ad vnum illud optimi Principis authographum reijcerem. ſed enim, præterquam quod ſolus* Gruterus, cuius opera ac ſtudio opus illud Antiquarum Orbis Inſcriptionum diſpoſitum editumque eſt, cenſuram illam protulit, vt in epiſtola quadam paucis ante obitum menſibus Velſerus teſtatus eſt, ijdem ipſi tamen, pro ea qua cum apud nos erant humanitate pollebant, æqui conſulerent, eorum authoritati, ſi authoritatibus pugnandum eſt, opponi à me immemorabilis temporis conſuetudinem, ac veterum traditionem, iura immunitatis ſemper retenta, atque vſurpata, Principum, qui in Sicilia imperarint, ſolemnes teſtificationes, ac demum antiquorum Scriptorum fidem Raphaelis * Volaterrani, Petri Appiani, * Andreæ Theuedi, * Leandri Alberti,& nuperrime Stephani Vinandi Pighij. cuius verba, quod apertiſſime ſententiam hanc probent, libenter ſubiecerim. Is in ijs libris quos ampliſſimos & diligentiſſimos edidit, de Magiſtratibus S. P. Q. R. anno V. C. CCCCXC. Cõſules notat M.Valerium Maximum Meſſalam,& M.Octacilium Craſſum. Tribunos vero plebis multos enumerat; inter quos noſtrum Cn. Atilium Calatinum. verba hæc ſunt. *C.Atilius A.F.C.N.is ex S.C. legem tulit de Hieronis Syracuſanorum Regis foedere & amicitia cum Conſulibus inita, & de Mamertinorum ac oppidi Meſſanæ ciuitatis iure, ditioniſque pomerio. Vti Rex Hiero captiuos, oppida, loca Meſſanenſium bello capta, gratis ſine pretio redderet. centum argenti talenta ærario populi Romani ſolueret, atque ita ſocius & amicus populi Romani eßet, appellareturque Mamertini Ciues Romani, Meſſanaque Ciuium Roman.oppidum eſſent.eius pomerÿ lapides à Leontinis vſque ad Phædas extenderentur. Tabula quædam antiqua Sicula,quam Meſſanæ reperiri ſcribit Caſſiodori commentator Cuſpinianus, nominat hunc Legiſlatorem Cn.Calatinum Tribunum pl. Eam videntur ibidem ciues ſeruaſſe in teſtimonium antiqua*

* Sueton.in Veſpaſ.

* lib.6.
* in inſcription. Aſiæ pag.503.
* in coſmograph. libr. 17. cap.13.

tiquæ ſuæ nobilitatis. ſed ſæpius, vt apparet ex ipſa, quam Cuſpinianus adducit, inſcriptione, interpolata, & pro ſæculi cuiuſque, quo fortuitis ruinæ vel incendij caſibus deſtructa erat, imperitia vitiatam, adeo vt certi quippiam ex ea colligere difficile ſit. Legem igitur Atiliam hanc partim ex Polibio, Zonara, Oroſio, & Plinio, qui hiſtoriæ ſuæ lib. 3. cap. 8. Meſſanam oppidum ciuium Roman. qui Mamertini vocantur, recenſet concinnaui, partim ex dicta tabulæ verbis. Hæc Vinandus. externus ſcilicet homo, & vt à noſtro cœlo longiſſime diſſitus, ita etiam digniſſimus, cuius in ſententiam poſito contendendi ſtudio pedibus omnes eant. In qua Vinandi cenſura cum nihil ſit, quod non vere dici queat, eius obſcuritatis, quam in noſtris hiſce monumentis ille animaduertit, illa etiam cauſa poteſt accedere, præter eas, quas Vinandus annotat, quod fortaſſe non multo clarius ac dilucidius erat illud ipſum Tribuni pl. reſponſum Mamertinis redditum. quod & ſi tibi pene incredibile videatur, facile animum induces ſi mecum illud conſideres, Latinam linguam primis Romanæ reipublicæ ſæculis pene infantem fuiſſe: ſucceſſu deinde temporis & verborum copia auctiorem & ornatiorem redditam. nihil enim ſimul & inuentum & perfectum eſt. Inde illud Suetonij. * *Grammatica*, inquit, *olim Romæ ne in vſu quidem, nedum in honore vllo erat, rudi ſcilicet & bellicoſa tum ciuitate, nec magnopere liberalibus ſtudijs vacante.* & poſt pauca. *Primum igitur, quantum opinamur, ſtudium Grammatices in vrbem intulit Crates Mellotes Ariſtarchi æqualis. qui miſſus ad Senatum ab Attalo Rege inter ſecundum & tertium bellum Punicum ſub Ennij mortem noſtris exemplo fuit ad imitãdum.* Quid, quod etiam Poetices ſtudium ſero nimis in vrbem, nempe anno DCXX. ab V. C. veniſſe Cicero * memoriæ prodidit? Agellius * etiam an non rude ſæculum illud appellat, quo anno DXCII. Fannio & Valerio Coſſ. ex S. C. Rhetores vrbe excedere iuſſi ſunt? neque vero alio referenda exiſtimo Polibij verba, * cum de primo fœdere cum Carthaginienſibus inito loqueretur. *Primum itaque foedus*, ait, *inter vtrumque populum initum eſt ſtatim poſt eiectum vrbe regium nomen, D. Iunio Bruto & M. Valerio Coſſ. ſub quibus etiam Iouis Capitolini templum dicatum eſt, duo de triginta*

* de illuſtr. Grãmaticis
* Tuſc. qq. 1
* Noct. Att. lib. 15. c. 15.
Andr. Patr. in fragm. li. 3 de republ. tom. 3.
* lib. 1.

triginta annis ante primam Xerſis in Græciam transfretationem. quod quanto diligentius potuimus interpretati ſumus. Tanta enim facta eſt mutatio Romanæ linguæ ab ea tempeſtate in hodiernum diem, vt etiam qui peritiſſimi ſunt, pleraque non niſi difficulter intelligant. Ex quibus vides Mome antiquiorem Romanum ſermonem rudiorem, neque ex Grammaticorum legibus expolitum fuiſſe. quod ipſum Alciato * probatur, qui ex Apuleio clariſſime docet, loquendi rationem, qua veteres Romani paſſim vtebantur, non æque ita comptam atque caſtigatam fuiſſe, ſed corruptiorem, ſemibarbaram & à recti ſermonis legibus non paulo abhorrentem.

** lib. 1 prætermiſſor.*

¶ Conquieueram hic ego aliquantulum. Momus vero interim libros illos ſuos anxie ſatis accurateque percurrere, euoluere, reuoluere. At Dicarchus. Paleſtra ne excedis, inquit, Mome, & herbam porrigis? Nihil minus, inquit ille, verum neſcio quo bono fato huius (me deſignabat) fugiunt me modo ea Corſetti argumenta, quibus ceu miniata cerula notat & penitus expungit priuilegium illud alterum, quod bello ſeruili latum Mamertini proferunt. Sed en inter pedes occurrunt. ſtatimque ad me conuerſus, tamquam de integro ordiens. Quod vero Geni, inquit, de altero iſto diplomate iudicium tuum eſt? etiamne illud omnis vitij immune aſſeres? Quid ni ita cenſeam Mome, inquam, quouſque tu falſitatis non euiceris? Et hoc quoque in numerato eſt, inquit ille. Etenim anno V.C. DCXXI. quem tabulæ veſtræ indicant, nulli Faſti Conſules habent Ser. Fuluium Flaccum & Q. Calphurnium Piſonem, qui priuilegij ferendi authores traduntur, ſed P. Scipionem Aemilianum & L. Calphurnium Piſonem. quare cum annus & Conſules inuicem pugnent, maxima inijcitur religio ſuppoſitæ fraudis. Tum ego. Noli, inquam, ita opinari Mome. eius enim obiecti vis facillime eluditur, ſi dixerimus, non annorum numerum, qui plerumque mendoſus eſt, ſed Conſulum nomina ad temporum ſeriem cognoſcendam inſpici debere. præſertim cum Romanæ hiſtoriç Scriptores rerum geſtarum periodos hoc quoque ordine metiri conſueuerint, vti ſuperius late demonſtratum eſt. Petenda etiam reſponſio, ex his quæ ante diſputata ſunt, cum oſtendi anni notam quæ hiſce tabulis affixa eſt, ſpuriam

Corſet. pag. 72.

eſſe

eſſe & ab imperito quopiam imperitiſſime de ſuo adiectam?
Illud itaque ſtatuas, priuilegium hoc Ser. Fuluio Flacco &
Q. Calphurnio Piſone Coſſ. latum eſſe, Octauio Tribuno pl.
ſuadente. quod proinde in annum DCXIIX. reijciendum
cenſeo, quo tempore magiſtratum illos geſſiſſe ex Obſequente,
In Faſtis anno 618. te, Caſſiodoro, Oroſio, & Faſtis Siculis Sigonius * probat.
Bene habet, inquit Momus, ſi tamen eadem dexteritate illo
te expedies argumento, quod ſecundo loco patronus meus
obijcit. quod, cum pene memoria exciderit, de ſcripto reci-
Corſett. pagin. 72. tabo. Dicitur in ipſo priuilegio, bello ſeruili rempublicam
turbante. aſt duobus bellis ſeruilibus Siciliam conflictatam
eſſe comperitur. primo ab Euno quodam Syro & Cleone cõ-
citato, quod P. Rupilius Conſul anno DCXXXI. confecit, al-
tero bello, quod ab Athenione ſeruo commotum, à M. Aqui-
lio Conſule anno DCLI. fuit abſolutum. De hoc bello me-
minit Cicero in Verrem inquiẽs, *poſt bellum, quod M. Aqui-
lius confecit, nullum in Sicilia fugitiuorum bellum fuit*. &
rurſus. *poſt M. Aquilium omnium Prætorum inſtituta at-
que edicta fuerunt, ne quis cum telo eſſet ſeruus*. Hæc Sigo-
nius de antiquo iure prouinc. cap. 3. Hæc ſatis commentitia
reddunt ſupradicta Romanorum priuilegia. multa alia poſ-
ſemus adducere, ſed quia præſens occaſio aliquid aliud non
poſtulat, ſub ſilentio ea inuoluenda duximus perpetuo. Hic
ego interpellans. Satis iam, inquam, bone vir ineptiarum
ſatis. an fortaſſe nec dum animaduertis, aduocatum iſtum
tuum Andabatarum more pugnare? Subſtitit Momus ad
hæc, &, Quid nugaris, inquit. Tum ego, Fac inquam duo
fuiſſe in Sicilia ſeruilia bella, alterum ab P. Rupilio, alterum
ab M. Aquilio reſtinctum. quid eo conficitur? quid cum facti
noſtri ſpecie. Vide, obſecro, per fortunas tuas, Mome, per
obtrectationes tuas, vide, inquam, an ex vſu tuo futurum
ſit, ijs deinceps patronis vti, qui nulla cura tangantur, ni-
hil penſi habeant, apte ne & ad rem dicant, an ridicule &
inepte; quique, vt cum Cicerone dicam, non conſiderant,
ſed quaſi ſortiuntur, quid loquantur. At fortaſſe ea ſpes il-
Corſet. in præfat. los arrigit, quod in ipſa libri fronte, diuinabant ſcilicet,
quaſcumque tenebras diſſertatiuncula habitura ſit, Patro-
ni, quem ſibi aduocant, ſplendore diſijci poſſe confidunt. vt
ſi minus ratione, authoritate tamen facile vincant. Nem-

pe,

pe, inquit hic ſecum ipſe ſubmurmurans Momus, veriſſimum verbum illud eſt,

Huic opus eſt patrono, quem defenſorem paro.

Sed tamen huius oſcitantiæ cauſam alteram cum antea notauerim, ſi memoria tenes, alteram nunc habe. Propugnationem iſtam ſcis nono die abſolutam. Scio inquam ego. Tum ille. etenim, inquit, & Capitolium Romæ publice coactis fabris, operiſque imperatis, breui exædificari potuiſſe, probe noſti. & hoc quoque noui, inquam. Tum Momus. In eam ſcriptionem Panhormitani ſuas quiſque operas detulere. & hi quidem dictionem, illi ordinem, alij argumentum. politica alij, alij hiſtorica, Leguleij quidam & forenſes tabulæ ea, quæ ad ius ciuile pertinent. *Conſett pagin. 119.*

Qualis apes æſtate noua per florea rura
Exercet ſub ſole labor, cum gentis adultos
Educunt foetus, aut cum liquentia mella
Stipant & dulci diſtendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine longo
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.
Feruet opus, redolentque thimo fragrantia mella.

Quid igitur Geni miraris inter tumultuarias populorum & collatitias operas, ex ijs plures ſibi inuicem non cohærere, & opus iſtud plenum eſſe rimarum, hacque illacque perpluere. Atque id potiſſimum admiror Mome, inquam ego, quid tandem cauſæ fuerit, & quid tot hominum ſtudia in eam ſcriptionem agminatim concitarit. Etenim videntur mihi iſti noſtrarum immunitatum oppugnationem, veluti thenſas illas ſacras excepiſſe, quibus Deorum Dearumque ſimulacra deferre olim in veteri religione Ethnici conſueuere, quarum lora & fulcimenta certatim manutenere & tangere religio erat, de quibus Virgil.

circum pueri, innuptaque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.

¶ Sed longius labor. reuertor itaque ad propoſitum; non enim in animum induxi, ſingula tuorum errata deſignare, ne plus iuſto excreſcat oratio. Atque illo quidem argumenti genere, quid adſtruere velit aduerſarius, nihilo magis apparet. nam ſi formulam ipſam ſuſpectam habet, Sigonium quæſo adeat in Faſtis anni DCXIIX., vbi antiquam horum

ipſorum Coſſ.Ser.Fuluij Flacci & Q.Calphurnij Piſonis mentionem haberi in veteri vulgata tabula, quæ habet, Ser.Fuluio Flacco & Q.Calphurnio Piſone rempublic. bello ſeruili turbante. ceſſare itaque debet omnis ſuſpicio, quando ſimilibus conceptam verbis formulam ex antiquiſſima tabula cognoſcimus. Quod ſi incertitudo ſcrupulum facit, cum non clare indicet, primum ne an ſecundum ſeruile bellum fuerit, quo priuilegium latum eſt; animaduerti debet Seruile bellum in Sicilia duplex fuiſſe, quorum poſterius anno, vt putat Sigonius, DCLIII. C.Mario VI.& L.Valerio Coſſ.excitatum ab Athenione, ijſdem anno & Conſulibus ab M.Aquilio confectum eſt. alterum vero, quod ab Euno commotum, & ſi Oroſius anno DCXIIX. Ser. Fuluio Flacco & Q. Calphurnio Piſone Coſſ. exortum ſcripſerit, alijs tamen renouatum potius eo anno, quam ſuſcitatum videtur, nam quia priuſquam conſulatum inirent, C.Fuluius Flaccus & P.Scipio Aemilianus, qui Ser.Fuluio Flacco & Q.Calphurnio Piſoni ſucceſſere, quatuor Prætores Manilius, Lentulus, Piſo, & Hipſæus bello ſeruili oppreſſi à L. Floro numerantur, inde neceſſario fit, bellum illud quatuor ſaltem ante annis ortum eſſe, quam alteri conſuli C. Fuluio Flacco Sicilia obtigiſſet. proinde rectiſſime Stephanus Vinandus eius belli initia in annum V.C. DCXV. reijcit, cum prouinciam Siciliam T.Didius Prætor obtineret. idque præſertim ex nummo antiquo probat, quo miles Romanus armis inſtructus, non pilo, vel gladio, ſed multifida ſcutica ſeminudum, longoque ſcuto ſudene repugnantem barbarum cædere & proſternere fingitur, cum titulo T.Deidi. Illud certiſſimum eſt, Ser. Fuluio Flacco & Q. Calphurnio Piſone Coſſ. ſumptum à Perpenna Prætore de ſeruis ſupplicium eſſe, & bellum ſublatum, vt ex Valerio Floro & Oroſio Sigonius * probat. verum cum is è prouincia diſceſſiſſet, eodem anno noua Cleonis alterius ſerui temeritate bellum, quod à Perpenna extinctum videbatur, grauius exarſit, adeo vt eam præcipue ob cauſam conſularem exercitum anno DCXIX. ſub C. Fuluio Flacco Conſ., qui Siciliam ſortitus eſt, miſſum, & rem cum ſeruis geſtam Epitome Liuiana & Oroſius doceant, quamuis quo euentu, parum cognitum ſit, quod annalium memoria interierit. Inſequenti anno DCXX. qui Coſſ. habuit D.Mucium

* *in Faſtis anni 618. 621.*

Scæ-

Scæuolam & L. Calphurnium Piſonem, hic in Sicilia ita ſe-
geſſit, vt eius virtutis populum Romanum minime pœni-
tuerit. quem Oroſius Mamertum oppidum expugnaſſe, &
octo ſeruorum millia occidiſſe ſcribit. Frontinus * etiam *lib.4.c.1
& M.Valerius * annotarunt, Calphurnium hunc Piſonem *lib.4.c.3.
graui fugitiuorum bello à ſe liberata Sicilia eos, quorum
præcipue opera vſus fuerat, Imperatorio nomine donis cum
proſequeretur, inter hos filium ſuum locis aliquot fortiſſi-
me præliatum titulo trium librarum aureæ coronæ decoraſ-
ſe. quod non eo refero, quaſi ab hoc Calphurnio Conſ. Ma-
mertinos ijs honoribus, qui in tabulis recenſentur, auctos
eſſe exiſtimem, cum optime ſciam, Scriptores illos de L.
Calphurnio Piſone C.Fuluij ſucceſſore hæc memoriæ prodi-
diſſe, non de Q. Calphurnio itidem Piſone, quo conſulatum
gerente lata ab Octauio Tribuno pl. rogatio iſta, de qua lis
eſt. Tandem vero primum hoc ſeruile bellum à P. Rupilio
Conſ., qui anno DCXXI. Piſonem inſecutus eſt, confectum
eſſe, & ex eo triumphum ouationis duxiſſe Cicero, Valerius,
Oroſius & Sigonius * frequenti ſententia ſcripſere. Ex his * in Faſtis
itaque nullus dubitationis locus reliquus eſt, quominus in anno 621.
eam ſententiam eamus priuilegium hoc ſeruili bello latum
eſſe anno V. C. DCXIIX. Ser. Fuluio Flacco & Q. Calphur-
nio Piſone Coſſ.

¶ Age vero, inquit hoc loco Momus, quæ hactenus di- Littar.pag.
ſputata ſunt, fac ita eſſe, vt tu cenſes. num vero negabis, Ma- 37. 39. 40.
mertinos tuos his ipſis immunitatibus ac priuilegijs tum 41. Corſett.
excidiſſe, cum, ſiue quod eos Romanorum amicitiæ tædium pag.73. Ma
cæpiſſet, ſiue quod liberiores excuſſa quauis aliorum ſocie- ruta pag.69
tate futuros ſe crederent, ſiue demum quod ab Hieronis mo-
leſtia liberos ſe plane cognoſcerent, ſicuti paulo ante Poe-
nos in auxilium accitos, contra pactam fidem ciuitate exe-
gerant, quod eorum opera tum non indigerent, ita pari frau-
de Mercenarios Romanos pulſos vrbe & eiectos voluere.
verum vbi Romanam virtutem aliam eſſe, quam barbaro-
rum ſenſere; arreptis armis, palam aperteque rem adorti
ſunt. at enim iſti ne pedem in Sicilia fruſtra poſuiſſe vide-
rentur, M. Valerio Maximo & M. Octacilio Craſſo Conſuli-
bus eam expeditionem in Mamertinos ſuſcipiunt. quos fa-
cili negotio, vt nonnulli, vel, vt alij authores ſunt, non ſine

puluere & ſudore in ordinem redegere. qua vna re Valerius Meſſalæ cognomen inuenit, vt proinde M. Valerius Meſſana appellari primum cœperit, poſtmodum vero litterulæ immutatione Meſſala ſit dictus. cuius rei vt Plinium, Agellium, Crinitum miſſos faciam, locupletiſſimi teſtes ſunt Seneca * & Macrobius, * ex quibus recentiores hauſere. locos ipſos prætereo, quod notiſſimi ſint, vnum Ouidium * proſero, cuius hæc ſunt verba.

* de breuitate vitæ. * 1. Saturnal. c. 5. * 1. Faſtor.

Hunc Numidæ faciunt, illum Meſſana ſuperbum,
Ille Numantina traxit ab vrbe notam.

quem locum non inuitum ad M. Valerium Meſſalam referendum cenſeo. & ſane quidem hæc mea ſententia ex illo non parum confirmatur, quod inſequentibus annis omnes ante Verrem Prætores nauem Mamertinis imperarunt, nautam, militem, qui in claſſe, qui in præſidio eſſent. frumentum etiam ab iiſdem, vt ab reliquis Siculis, æquabiliter pro portione emptum eſſe, pluribus locis Cicero teſtatur. Decreueram abſque dubio hæc antiquitatis monumenta ſilentio præterire, ne indoctis nouitatem, doctioribus admirationem, affectantibus indignationem, & præteritis ſæculis verecundiam parerent. Sophronius hic. Ex Rhetorum lege, inquit, & cum dignitate hic pugnas, Mome. & aduerſarium ſaxum inter & ſacrum cogis, adeoque, vt eum nec quidem ipſa, ſi velit, ſalus ſeruare poſſit. De hoc vero Sophroni, inquam ego, nulla tibi cura fuerit, faciles modo & æquas aures præbeas. At tibi quidem, Mome, gratulor maxime, quod te declamante eſt quod indocti nouitatem ſtupeant, admirentur docti, indignentur alij, priora ſæcula erubeſcant. Scilicet ſtili nouitas adeo recens eſt, vt infantiſſima ſit, & quam merito indocti ſtupeant. adeo impudens & ſecura ſolœci & barbariſmi, vt, cum veluti in inſcitiæ regno Regios faſtus animoſque præſeferat, iure docti admirentur, indignenturque præterita ſæcula, quod huc demum reciderit elegantiſſima iuris ſcientia. ſed ne à linea, quod dicitur, excidam, haud quidem vereor, ne te Epitome Liuij * in hunc errorem impulerit, cum ſcribit, *Carthaginienſes ſuppetias miſiſſe Mamertinis. quo facto ruptum eſſe foedus cum iis à Romanis initum*, quaſi cum Mamertini id temporis hoſtes populi Romani dicerentur, commiſiſſe in fœderis legem Carthaginienſes

Corſett. pagin. 74. Matute pagin. 31. Matute, pag. 32. * lib. 24.

nienſes

nienſes viderentur, qua populi Romani hoſtibus auxilia quoquomodo decernere prohibiti erant. rectiſſime enim Epitomæ errorem Sigonius * deprehendit, qui locum refingendum eſſe docet, ac pro Mamertinis Tarentinis reponendum, quibus cum ea tempeſtate bellum Romanis erat. id quod etiam Fabritius Marcoduranus * alibi animaduertit. Deinde illud, quod veluti certiſſimum Aduocati tui habent, Meſſanam ab M. Valerio expugnatam eſſe, quod ab Romanorum ſocietate defeciſſet, neminem dum ex antiquis illis authorem habeo, qui id annotet. nam quos tu laudas inferius examinabo. quin potius contrarium teſtem Ciceronem * proferre poſſem, qui Siciliæ ciuitates, quæ ſemel in amicitiam populi Romani veniſſent, numquam poſtea defeciſſe: pleraſque etiam & maxime illuſtres, in amicitia perpetuo manſiſſe refert. Sed neque veriſimile putauerim, Ciceronem, qui cum inimiciſſimo in Mamertinos eſſet animo, omne genus maledictis, conuitijſque eſt inſectatus, totaque illa ſua in Verrem actione, Senatus odio inuidiaque eos grauare conatus eſt, ſolam hanc Mamertinorum defectionem, vel ſcientem ac volentem præterijſſe, vel omnino ignoraſſe? cum præſertim illorum exiſtimationi ac nomini turpiſſimam notam inurere, clariſſima eorum in rempublic. merita eleuare, legatorum, qui C. Verrem laudatum ierant, authoritatem minuere, ſola eius rei commemoratione potuiſſet. Quid ſi doceo, in pari cauſa eundem Ciceronem, qui de Syracuſanis optime ſe meritum alicubi * prædicauit, quod ſibi ac fratri in curiam Syracuſanam venientibus honorifice aſſurrexiſſent (vt gloriolam fere omnem ventoſum illud animal, impotentius aucupabatur) decretumque in Senatu eorum fuiſſet, vt hoſpitium publice fratri fieret, quia ipſi optimam voluntatem in Syracuſanos ſuſceperant; tamen alio in loco * cum Verrem eo nomine appellaret, quod claſſi prætoriæ populi Romani Syracuſanum hominem præeſſe iuſſiſſet, non ſine magno animi ſenſu grauiſſimis verbis ita queſtum eſſe. *Ecquod in Sicilia bellum fecimus, quin Centuripinis ſocijs, Syracuſanis hoſtibus vteremur? atque hæc omnia ad memoriam vetuſtatis, non ad contumeliam ciuitatis referri volo. Itaque vir clariſſimus M. Marcellus, cuius virtute parta, miſericordia conſeruata ſunt Syracuſæ, habitare in ea parte*

vrbis,

* *in notis ad lib. 14.*

* *in notis ad Groſ. lib. 4. c. 5.*

* *in Verr. act. 2. in princ.*

* *In Verr. act. 5. lib. 4.*

* *In Verr. act. 6. lib. 5.*

vrbis, quæ inſula eſt Syracuſanum neminem voluit. bodie inquam Syracuſanum habitare in ea parte non licet. eſt enim locus, quem vel pauci poſſint defendere. committere igitur eum non fideliſſimis hominibus noluit; ſimul quod ab illa parte nauibus aditus ex alto eſt. Quamobrem qui noſtros exercitus ſæpe excluſerant, iis clauſtra loci committenda non exiſtimauit. Hæc Cicero. vt alia, quæ in eandem ſententiam dixit, prætermittam. An igitur credendum, eum quem Syracuſanorum neceſſitudo, hoſpitium, amicitia retinere in officio non potuerunt, quominus, vbi cauſa id poſtulauit, præteritorum temporum inuiſam recordationem induceret, à Mamertinis peſſime habitum, ludibrio exceptum, hanc eorum defectionis notam, ſi vllam odoratus eſſet, tum, cum maxime dictam oportuit, prætergreſſurum fuiſſe? Ac proinde ex quo fonte hiſtoriam Fazellus aut Volaterranus hauſerint, plane non agnoſco. cum neque Petrus Crinitus, quem authorem laudas, narrationem illam parte aliqua attingat, neque item Agellius, aut quem initio proferebas Plinius. De Ouidio enim, Seneca, & Macrobio ſuo loco erit ſermo. Quare cum certum ſit anno V.C.CCCCIXC. App. Claudium Mamertinis auxilio miſſum, ſtrenuam operam in ſocijs obſidione liberandis poſuiſſe, Poenos & Hieronem bello profligaſſe; cum item conſtet, proximo anno M. Valerium & M.Octacilium Appij ſucceſſores multas hoſtium vrbes cæpiſſe, interque eas harum rerum Scriptores Polibius, * Diodorus, * Florus, * Eutropius, * & Zonaras * nihil de Mamertinorum perfidia tradiderint, non video cur veriſimilis hæc videri narratio debeat. præſertim cum in tam exiguo temporis interuallo, quod Appij deceſſum è prouincia, & ſucceſſorum Valerij & Octacilij Coſſ. aduentum interceſſit, ne dum nulla cauſa fuerit, ſed neque etiam eſſe potuerit, quæ Mamertinorum animos origine, cognatione, vetuſta ſocietate coniunctiſſimos, & nouo quoque beneficio deuinctos à fœdere abalienaret. Accedit, quod M. Valerius Meſſala triumphum egit haud quidem de Mamertinis, ſed de Hierone & Poenis. id quod Panuinius, * Goltzius, * Sigonius * & Vinandus * annotarunt. vt illud prætercam, quod cum eodem Sigonio * probari ex Polibio & Zonara poſſet, tantum abeſſe, vt Valerius bello Meſſanam expugna-

* *lib. 1.*
* *lib. 2. c. 2.*
* *lib. 23.*
* *tomo 2.*

**** *in Faſtis anni 490.*
* *ibidem & Stadius in notis ad Flor. lib. 2. cap. 2.*

expugnauit, vt imo rem omnem Siculam quiete & ſine armis confecerit, ac proinde nullus triumpho locus eſſe potuerit.

¶ Hæc eo confirmantur. quod ſi Meſſana iuſto bello deuicta, ſub iugum populi Romani veniſſet, nullum deinceps illi cum Romana ciuitate fœdus æquum vel ſocietatis eſſe potuiſſet, ſed illud tantum, quod deditium appellant. neque item Claudij, ſed Meſſalæ patroni Mamertinorum fuiſſent. nam cum ij qui ciuitates, aut nationes iuſto prælio debellatas in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent more * inſtitutoque maiorum; vtique ex ea conſuetudine Meſſalę eſſe debuerant, ſi Valerij Meſſalæ auſpicijs Mamertini victi deditionem feciſſent. atqui clariſſime Cicero * ſolos Claudios eo nomine appellat, non Meſſalas. & iure id quidem, quia App. Claudij ductu conſilioque Mamertini ſeruati. Nam quod Ouidius, quem Seneca & Macrobius huius hiſtoriolæ authorem inſecuti ſunt, M. Valerium à deuicta Meſſana nomen ſumpſiſſe ſcripſerit, nihil miror. crediderim enim illum ex vulgi ſententia, vti ſæpe fit, locutum. fortaſſe quia, cum multas res præclare fortiterque Valerius in Sicilia geſſiſſet, ab illuſtri & Romanis tum ſatis cognita ciuitate vulgo appellabatur, vel, quod veriſimilius videtur, ex Capitolinis Faſtis eum erroris cauſam hauſiſſe. nam cum in ijs legeretur, Anno CCCCLXC. M. Valerium Maximum cum M. Octacilio Craſſo conſulatum geſſiſſe, eoque in honore illum Meſſalam appellatum; cum item ſciret, illo ipſo anno eumdem Valerium Catanam, Tauromenium, Segeſtam & quinquaginta præterea ciuitates in fidem recepiſſe, facile ex iſtiuſmodi coniecturis Ouidius in eam cogitationem ex nominum ſimilitudine deſcendit, vt à Meſſana deuicta Meſſalam appellatum crediderit. quæ mea indagatio ſi vera eſt, vt veriſſimam eſſe cenſeo, turpiter certe lapſus videtur Ouidius, qui ex eo cognomine in illam venerit opinionem. male enim nominum cognominumue origo & deriuatio ex nuda ipſa verborum alluſione deducitur. Et quidem, liceat mihi aliquantulum immorari in tractatione hac, de qua tam laute & pollucibiliter aduerſarij epulantur, in nominum deducendo etimo non ſatis firmum duci poſſe argumentum ab Authorum teſtimonio, quod hi vel vulgi ſententiam interdum,

Cic. Offic. lib. 1. Aſcon. & Manut. in Diuination.

** In Verr. act. 5. lib. 4.*

Vide Agell. lib 6 c. Vallam li. 6. Catell. Cott. verb. Teſtamenti. Alciat. 5. Parerg. cap. 12.

dum, vel vnius aut alterius non maxime probati Scriptoris authoritatem ſequantur, ex eo licet animaduertere, quod Mutij Scæuolæ fortiſſimi viri agnominis cauſam, ſi communem Scriptorum ſenſum amplectimur, haud dubie ex memorabili illo pietatis in patriam & fortitudinis exemplo repetemus. quam tamen opinionem falſam eſſe, & in errore verſari omnes & aliunde ſumptam nominis cauſam non obſcure docet Sigiſmundus Gelenius * non contemnendus author. Is inter alia, quæ de Liuij & Halicarnaſſæi comparatione diſputat, hæc habet. *Quale eſt ferinum illud, quod Liuius de Scæuola ſcribit manum torrente in foculo. quem noſter*, Dioniſium intelligit, cuius haud dubium * maior in hiſtoria fides, quam Liuij, Tranquilli, Taciti (quippe de aliena, non de ſua republica ſcribentis) *Mutium Cordum nominat, longeque veriſimilius, atque etiam decentius denarrat hominis facinus. nam Scæuolæ cognomen alij de cauſis in Mutiam gentem recipi potuit. neque enim ſolis ignibus clades infertur artubus. & videtur alicuius ſtudio cognomini gentilitio afficta honeſta fabula.* Hæc ibi Gelenius. Verum vt ad proximiora & noſtratia exempla decurrat oratio, quis non videt etiam num obſtinate inter ſe pugnare Hiſtoricos de Guelphorum & Gibellinorum nominis origine, de Turcarum, de Sarracenorum, & eorum quos Cinganos & quos ſuperior ætas Hugonotos appellauit; Eo fit veteres quoque Scriptores in antiquorum nominum originibus inueſtigandis labi potuiſſe, cum &, recentiores in heri aut nudius tertius natis vocabulis longiſſime erraſſe deprehendantur. Nimium te iactas Geni, inquit hic Momus. neque tamen, niſi meras coniecturas loqueris, lubricam ſane viam & incertæ plenam aleæ, & quam ſi ſequamur, næ omnis hiſtoriæ fides nutabit. At nimio inclementer, inquam ego, mecum agis Mome, qui in re dubia vnam & alteram, certe ſatis probabilem coniecturam, afferentem faſtidias, reprehendas. Domi habes quibus talia iure meritoque prædices. ijs ſcilicet qui vel integra volumina coniecturis ſolis farciunt. quibus in clariſſima hiſtoriarum luce faces ſoli præferre, ludus ac iocus eſt. qui recentiorem Vrbis originem in Chaos ac Saturni tempora vitreis quibuſdam opinionibus, non certo ductu atque inditio reuocant. nempe cribro

* *in præfat. ad Halicarnaſſæum.*

* *Poſſeuin. Biblioth. li. 16. c. 13.*

cribro diuinant, ſtellis viam ſignant, vt in illis facile, patrios ſcilicet mores, pura puta Phœnicum commenta recognoſcas. Quamquam ego, vt verum fatear, hominis ingenium, eruditionem maxime admiror. adeoque vt exiſtimem huiuſmodi coniecturali ſcripto illum (neque enim vt ingenui & candidi ſunt viri mores, nugari ſe interdum in ea ſcriptione pernegat) hoc potius aſſequi conatum eſſe, quod mea ſententia pleniſſime aſſequitur, peracuti ingenij, ſubacti iudicij, infinitæ pene lectionis laudem & gloriam.

¶ Verum Mome, vt ad rem redeam, præter ea quæ iam dicta ſunt, illa etiam me mouent, quæ trabali, vt dicitur, clauo rem configunt. Primum ſi Meſſalæ cognomen ex illo euento deuictæ Meſſanæ originem habuit, certe ante illa tempora nullus fuerit Romæ Meſſala neceſſe eſt. Ain vero? Vero, inquit Momus. Tum ego. Atqui apud Plinium * ita lego. *Equidem & Sibillas iuxta roſtra eſſe non miror, tres ſint licet. vna quam ſex Pacuuius Taurus Aedilis pl., duæ quas M. Meſſala.* At nondum docuiſti, inquit Momus, M. hunc Meſſalam multo ante noſtrum M. Valerium Meſſalam vixiſſe. Qui vero id docere poſſim, Mome, inquam, ſi dicentem interpellas. cæterum Plinij verba clariſſima ſunt, qui ita ſubdit. *Primas putarem has, & Accij Nauij, poſitas ætate Tarquinij Priſci, niſi Regum antecedentium eſſent in Capitolio.* Quibus verbis apertiſsime conuincitur, iam inde à Tarquinij Priſci ætate, quæ in annum V. C. centeſimum & quadrageſimum recidit, atque adeo trecentis quinquaginta ante annis, quam Ouidius cenſeat, cognomen hoc Meſſalarum inter Romanas familias receptum atque vſurpatum. Accedit ſecundo loco id, quod apud Liuium * legimus. *Africanum,* ait, de ſuperiori res erat, *militaris fauor, an popularis aura celebrauerit, an, ſicut felicis Syllæ patrum memoria, cæptum ab aſſentatione familiari ſit, parum compertum habeo. Primus certe hic Imperator nomine à ſe victæ gentis eſt nobilitatus. exemplo deinde huius nequaquam victoria pares inſignes imaginum titulos, claraque cognomina familiæ fecere.* Idem fere habet epitome. *Scipio Africanus, incertum ac militari fauore, an populari aura cognominatus ſit. primus certe hic Imperator nomine à ſe victæ gentis eſt cognominatus.* ſed neque ab his Cicero * diſſentit,

* lib. 34. c. 5.

* lib. 31.

* offic. lib. 1.

tit, cum dicit. *Publium Scipionem, Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato.* confirmant etiam ex alijs Scriptoribus Andreas Schottus * & Stephanus Vinandus. * Igitur ſi P. Cornelius Scipio Africanus omnium primus morem hunc vſurpauit, ſumendi cognominis à deuicta vrbe vel populo; qui fieri potuit, vt M. Valerius Maximus ſex & quinquaginta ante illum annis à Meſſana expugnata Meſſalæ nomen acceperit? Faceſſat itaque iam, Mome, fabula iſta, quæ tamdiu falsò animos hominum occupauit, neque Ouidio, poetice fortaſſis alicui de Meſſalarum gente adulanti, hiſtoriæ fidem deferamus. nec præterire te debuit, quod Cicero * de ſe ipſo ſcribit, multa in poema ſuum, (quod periclitandi ingenij gratia de Mario edidit) aliter atque eſſent geſta, farcijſſe. nec tamen eo reprehendendum. & imperite eos facere, qui in illo periculo à ſe, non vt à poeta, ſed vt à teſte, veritatem exigerent. Proteo vincula inijcis, Mome, inquit hic ſubridens Dicarchus. ſed fruſtra vt vides. retuſa omnis criminationis tuæ vis. Ouidius ipſe vereor ne falſi reus peragatur, Genio indicium proferente.

* In notis ad Cornel. Nep. in Scipione Afric.
* in annalibus anno 552.
* de legib. 1

¶ Pallere ad hæc Momus, caput ſcabere, digito vnguem rodere. mox ſubitam aliquam lætitiam vultu præferens. Quaſi vero, inquit, non multo ante P. Scipionem Africanum L. Marcius vir clariſſimus, Coriolis à ſe captis, Coriolani nomen tulerit? cui Florus meritoque indignatur, Coriolos, tenue ſcilicet oppidulum, veluti multo poſtea vtrique Scipioni Africam & Numantiam, nomen indidiſſe? L. quoque Aemilium Mamertinum nonne anno CCC XXIIII. Priuernatem dictum legimus, à Priuerno expugnato? vnde & triumphum duxit Kalendas Martijs. Quid quod anno V. C. CCCXIIX. Q. Seruilius P. F. Sp. N. Priſcus Dictator in eo honore Fidenas appellatus eſt à Fidenis captis? Nam Liuij teſtimonium nihil promouet. ſentit enim P. Scipionem omnium primum fuiſſe, qui ex deuictis prouincijs, non etiam eorum, qui ex oppidis debellatis nomina accepiſſent. quod & Sigonius * agnoſcit, cum à victis vrbibus cognomina ſortitos ait, M. Valerium Meſſalam à Meſſana, L. Aemilium Mamertinum Priuernatem à Priuerno, Q. Seruilium Priſcum Fidenatem à Fidenis, poſt hos vero P. Scipionem primum

* de Nominibus Romanis.

à victa

à victa gente vel prouincia dictum eſſe. Præclarum enimuero perfugium excogitas Mome, inquam ego. modo Liuius velit, & non è vinculis iſtis, quibus à te conſtringitur, in libertatem proclamet. & ſane quidem exempla, quæ Sigonius affert, nihil minus, quam id quo de quærimus, euincunt. Nam quod ad Coriolanum attinet, Liuius * cum de Coriolis Volſcorum oppido à Poſthumio Cominio Conſule expugnato loquitur, laudat quidem L. Marcij fortitudinem, cui poſtea Coriolano nomen fuit. at non ex eo victo oppido nomen ſortitum eſſe dicit. apertius id indicat Halicarnaſſæus, * cum ait, L.Marcium ſtrenuiſſimo in oppugnandis Coriolis facinore edito, cum à Poſthumio Conſ. pro concione laudaretur, coronaque virtutis ergo, equo phalerato, duorum captiuorum corporibus, argentoque, quantum ipſe ferre poſſet, honeſtiſque primitijs è reliqua præda honeſtaretur; gratias ſe quidem habere pro honore, dixiſſe. non tamen ſe eius liberalitate vſurum. ſed equo contentum propter phalerarum pulchritudinem, & vno captiuo, qui hoſpes ſibi ſit. atque adeo milites, qui prius venerabantur viri fortitudinem, magis etiam diuitiarum contemptum admiratos eſſe, & in tanta felicitate tantam modeſtiam. *ex quo facinore*, inquit Dionifius, *Corıolanus eſt cognominatus*. Plutarchus * quoque in eandem ſententiam loquitur,& ex recentioribus Sabellicus. * Conſtat igitur L.Marcium non à Coriolis expugnatis, ſed ab eo virtutis & modeſtiæ exemplo, poſt Coriolorum expugnationem edito Coriolanum dictum. alioqui bene impudentes Ciceronem & Liuium fuiſſe oportuit, qui Scipioni primum id honoris tributum ſcripſere. Q. vero Seruilius Fidenas in Capitolinis tabulis, haud quidem à Fidenis captis id nomen acquiſiſſe ſcribitur. cum hoc ſolum habeant Q. Seruilius P. F. Sp. N. Fidenas. putare ſe tamen Sigonius * ait, Fidenatem appellatum in eo Dictaturæ magiſtratu, quo Fidenas cæpit. L. Aemilij Mamertini exemplum nec aliquid ſuffragatur. nam ſi à Priuerno capto nomen illud venit, certe non minus etiam C. Plautius alter Conſul Priuernas appellandus. cum vtriuſque auſpicijs Priuernum ſit expugnatum, vterque ex Capitolinis tabulis de eo oppido triumphauerit. Quid quod Liuius * ſolum Plautium triumphaſſe ſcribit? de Mamertino vero ne verbum

* *lib.*

* *lib.6.*

* *in Coriolano.*

* *Ennead.2 lib. 9.*

* *In Faſtis anno 309.*

* *lib.8.*

quidem, imo Gallicum ei bellum obtigiſſe tradit? Certe alibi Sigonius ſic annotat. *Veriſimilem autem hunc triumphum Mamercini reddit cognomen eius Priuernas, quo ipſe primum vſus eſt*. alibi vero Priuernatem à Priuernate bello dictum exiſtimat. at quis non videt falli in hac coniectura Sigonium, cum nulla certi ſcriptoris authoritate duci ſe fateatur. Deinde non video, cur illud Liuij, quo P.Scipio omnium primus victæ à ſe gentis nomine nobilitatus eſſe dicitur, ita intelligendum ſit, quaſi primus ille fuerit qui ex gente ideſt prouincia debellata, non itidem eorum qui ex victis oppidis ac ciuitatibus nomen acceperint. Aeque enim Panormitana, Syracuſana, & Romana gente eſſe quempiam dicimus, atque Sicula, Hiſpana, Italica. tum vero id, quod Liuius ſubdit, aperte ſententiam iſtam improbat. *Exemplo,* inquit, *deinde huius, nequaquam victoria pares inſignes imaginum titulos claraque cognomina fecere*. quibus verbis eos tacite reprehendit, qui poſtea Scipionis exemplo ex deuictis vrbibus cognomina affectarunt, cum rerum geſtarum gloria, & victoriæ fructu nullo modo Scipioni conferendi eſſent. Ad hos enim magis reſpexiſſe Liuium cenſuerim, quam ad eos prouinciam aliquam, quamuis Africa minorem, debellaſſent. eadem mente, qua Florus indignabatur, tenue illud oppidum Coriolano nomen dediſſe, veluti Africanis duobus Africam & Numantiam. nam ſi quis prouinciam vllam & ſi neque armorum gloria, neque vrbium frequentia, neque regionis amplitudine cum Africa committendam populi Romani vectigalem bello feciſſet, quæ tandem obſecro, inuidia fuiſſet, ſi is præclaros ex ea titulos, cognominaque auferret? aut quis hunc ſi non omnino Scipioni parem, at certe quam minimo imparem non appellet? Non igitur eo loci Liuius L.Scipionem Aſiaticum, aut Q.Metellum Macedonicum, Q.Metellum Creticum, Q.Fabium Allobrogicum, Q.Metellum Balearicum reprehendere voluit; quaſi P. Scipionis æmulatione paria cognomina ambierint ab Aſia, Macedonia, Creta, Allobrogibus, Balearibus, alijſque prouincijs debellatis, ſed P. Iſauricum, P. Scipionem Numantinum, qui à deleta Numantia, ab Iſauris vrbe Ciliciæ, alioſque id genus homines & fortaſſe etiam Ciceronem ſuggillare voluit, qui à capto Ciliciæ oppido Pindetiſſo, ſi

per

per nominis obſcuritatem licuiſſet, ſe Pindetiſſatem dici cupiebat. * quippe oppida iſta, à quibus illi nomina ſibi facere cogitarunt, aut ſurdæ omnino famæ erant, aut non ita claræ, vt ab ijs magna gloria ſperari, merito ac iure debuerit. *lib. 2. epiſt. 10. & ad Attic. lib. 5. epiſt. 20.*

¶ Sed eſto Liuium vel inuitum in eam ſententiam pertrahamus, at quid Ciceroni, quid Plutarcho, Mome, reſpondebis, qui ſimpliciter ac planiſſime Scipionem primum omnium Africanum dictum eſſe ſcribunt? quid Sillio facies, cuius ſententia nullam omnino interpretationem admittit. Is de Scipione ſic cecinit.

Manſuri compos decoris per ſacula rector,
Deuicta referens primus cognomina terræ,
Securus ſceptri repetit per cærula Romam.

niſi ſi quis nouo exemplo terræ nomine prouincias ſolas venire, non oppida ciuitateſque peruicaciter contendat, vt iam, qui vrbes incolimus, non terra contineri, ſed in cœlo eſſe vel in aere videamur. Hic Momus. Patere me igitur, inquit, curioſius à te petere, quorſum referendum cenſeas id, quod ante dicebas, M. Valerium in eo honore Meſſalam dictum, ſi non ad Meſſanam bello victam referendum eſt. Ego vero, Mome, inquam, in hac re morem tibi geram. æquum modo animum præbeas, & in re antiquiſſima probabiliter differentem audias. neque enim à victa Meſſana cognomen illud veniſſe tibi perſuadeas velim. nam ſi id perpetuo verum eſſet, vtique & App. Claudium Regillenſem, & Valerium Antiatem, & M. Marcellum Aeſerninum, Pompeium Bithinicum, L. Aemilium Mamertinum Priuernatem, M. Antonium Creticum, Cæſarem Germanicum, Catonem Vticenſem, inde ita appellatos cenſendum eſſet, quod Vticam, quod Germaniam, quod Cretam, Bithiniam, Priuernum, Aeſerniam, Antium, Regillum bello cæperint. quod tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum. Regillenſem enim dictum accepimus, quod ex Regillo Sabinorum oppido primum venerit. Antiatem, quod Antias fuerit. Aeſerninum, quod apud Aeſernium captus. Bithinicum, quod ex Bithinia Nicomedis Regis ſupellectilem deportarit. Priuernatem, quod bellum Priuernate geſſerit. Creticum, Germanicum, Vticenſem, quod ijs locis obierint. vt & de Octauio, qui po- *Vide Sigon. in Faſtis anni 258. & de nominibus Romanis c 5.*

* in Octau. cap. 7.

ſtea Auguſtus eſt appellatus, Suetonius * narrat, Thurini cognomen ei inditum in infantia fuiſſe, quod in Thurina regione recẽs eo nato pater Octauius aduerſus fugitiuos rem proſpere geſſiſſet. Neque obijcias, aliam ab his eſſe cauſam Meſſalæ noſtri. cum de hoc ſpeciatim Faſti ſcribant, *in eo honore Meſſalam dictum eſſe.* quaſi ille honor triumphi fuerit, & in eo ipſo triumpho, quem de Siculis egit, Meſſalæ cognomen retulerit. Illa enim clauſula, *& in eo honore*, non de triumpho, ſed de magiſtratu Conſulari intelligenda eſt, quod facile animaduertes, ſi Faſtos percurres. in quibus anno CCXLIIII. P. Valerium Conſulem lego. & in eo honore, Poplicolam dictum. quem tamen in magiſtratu, non in triumpho, quem poſt geſſit, ita appellatum Sigonius * docet. Anno CCLVII. A. Poſthumius Albus Dictator fuit, & in eo honore, Regillenis. quem tamen id nomen tuliſſe in magiſtratu conſtat, quod bene ad lacum Regillum pugnaſſet. Biennio poſt M. Valerius Dictator eſt dictus, & in eo honore, Maximus. quia plebem male animatam in patres oratione compreſſerit. L. Sergius anno CCCXVI. conſulatum geſſit, quem Fidenatem in eo honore appellarunt, quod primus cis Anienem non incruento bello cum Veientum Rege conflixerit. Demum anno CCCCIIXC. C. Marcius Rutilius Cenſor fuit, in eoque honore, Cenſoris nomen conſecutus. quia, vt Sigonius ſcribit, cenſuram bis nouo exemplo cæpiſſet. atqui certiſſimum eſt, neque A. Poſthumium Album, neque M. Valerium Maximum, neque L. Sergium, aut C. Marcium Rutilum triumphum aliquem in ijs magiſtratibus duxiſſe. Ex quibus duo mea ſententia conficiuntur. primum ea cognomina, quæ in huiuſmodi honoribus quæſita, non à victis populis aut ciuitatibus veniſſe, ſed alia alijs ex cauſis, vt ſupra demonſtratum eſt. alterum eſt, honorem illum, de quo Faſti loquuntur, non de triumpho intelligendum, quem multi non attigere, ſed de magiſtratu, quem in republica geſſere. quod præſertim Faſti Triumphales euincunt, qui de noſtro M. Valerio id ſolum habent. *M. Valerium M. F. M. N. Meſſalam anno CCCCXCI. Kalend. April. de Poenis & Hierone Siculorum Rege triumphaſſe.* cum alioqui Conſulares ſeu Capitolini Faſti id nomen eum ſuperiori anno conſecutum ſcribant. vt inde appareat non in

* in Faſtis.

triumpho,

triumpho, ſed in conſulatu Meſſalam appellatum. Tandem, vt rem omnem in pauca conferam, ita cenſeo, M. Valerium à bello, quod Meſſanenſium cauſa ſuſceptum & fere circa Meſſanam geſtum, & cum Hierone compoſitum eſt, Meſſalam vulgo dictum, exemplo M. Marcelli Aeſernini, A. Poſthumij Regillenſis, L. Sergij Fidenatis, L. Aemilij Mamertini Priuernatis, quos ita dictos probaui, quod ijs in locis depugnauerint.

¶ Nempe, inquit hic Momus facillimum tibi eſt, noſtras has machinas eruditionum hiſtoriarumque obiectu eludere. haud tamen, credo, illud alterum præſtabis, hæc ipſa priuilegia, quæ tantas nobis excitant turbas, numquam dum res Romana floruit ſtetitque, vſu ipſo recepta probataque fuiſſe. quorſum enim Cicero tam pluribus tam diuerſis in locis onerum mentionem refricaret, quibus Mamertini populo Romano obſtringebantur? cum præſertim idem ipſe omnes inter Siciliæ populos ſolos Centuripinos, Haleſinos, Segeſtanos, Halicienſes, Panhormitanos liberos fuiſſe & immunes docent. Scilicet, inquam ego, in meliori cauſa & conditione eos populos fuiſſe, cenſes, Mome, quam Mamertini fuerint? Id quidem cenſeo, inquit Momus, & lippis etiam patere poſſet. illi enim neque ſub populi Romani imperio erant, neque fœdere adſcricti, neque vllis vectigalibus muneribuſue obnoxij. Tum ego. Longi ſermonis initium defers Mome. remque commoues ampla diſputatione dignam, & quam præſtaret, in tempus aliud differri. at quando vel inuitum vel alia omnia cogitantem in hunc me puluerem trahis, ſatisfaciam voluntati tuæ, meamque operam camdem in noua hac diſſertatione ſenties, quam in reliquis expertus es. modo per ampliſſimum hunc ordinem liceat, cuiuſue ſummam humanitatem perſenſimus, ita non nihil vereor, ne tuis iſtis, Mome, quas obijcis, tricis nugiſue commoueatur. At pergite iam, inquit Dicarchus. non ingratæ nobis veſtræ diſceptationes ſunt. ijs enim, veluti auocamentis, muneris noſtri ſeueriores curas oblectamus. Tum ego. Duo inquam præſtanda mihi ſunt Mome. Primum vt oſtendam Mamertinos ſemper immunes, & nulli obnoxios oneri: tum vero meliori etiam ac digniori iure, quam quinque illos populos cenſitos fuiſſe. quorum vtrumque vna diſputatione

Corſett. pagin. 73.
Marute pagin. 31. & 32.

confi-

conficiam, cum ex altero alterum pendeat; tu modo patienter differentem audias. neque tamen prohibeo, quin vtrum voles facias, vel ad ſingula, quæ diſputabo, ſtatim reſpondeas, vel cum perorauero, ad omnia. Et vt primas futuri ſermonis lineas ducam, nemini dubium eſſe puto, ſicuti honeſtius, & commodius fuiſſe ius Romanæ ciuitatis iure Latij, & hoc Italico, ita pari ratione Italicum ius prouinciali præſtitiſſe. quod quia fuſe & erudite Sigonius * docet, nobis ſatis ſit hoc loco innuiſſe, Italiam fuiſſe quidem vectigalem populi Romani, ſed tamen vniuerſim libertate donatam. prouincias autem non modo vectigalibus obnoxias fuiſſe, ſed ſeruitute etiam oneratas. quippe quæ legibus ſuis & magiſtratibus ſpoliatæ eſſent. inde manabat, vt prouinciæ omnes & Prætorem haberent, qui iuri dicendo præeſſet, & Quæſtorem, qui vectigalia exigeret. quia vero eiuſdem prouinciæ populi non eodem ſe animo aduerſus rempublicam geſſerant, inde factum, vt neque eodem aut pari omnes iure cenſerentur, ſed diuerſas, pro cuiuſque merito leges acciperent. hinc ciuitatum aliæ libertate donatæ, aliæ in ſeruitutem redactæ. aliæ immunes, aliæ vectigales. Vectigales dictæ, quibus vectigal imperatum. immunes, quibus nullo onere dicto, nihil populo Romano pendebant. in ſeruitute eſſe illæ dicebantur, quas Romani populi magiſtratibus parere voluerunt, in libertate vero illæ, quæ ſuis legibus viuere permiſſæ ſunt. Vt autem earum, quæ ſeruitute affectæ ſunt, ſtipendiariæ proprie dictæ, quæ aliquid tributi nomine pendebant, immunes quæ nulli oneri obnoxiæ; ita earum, quæ libertate donatæ erant, fœderatæ dicebantur, quæ fœderis lege coniunctæ Quiritibus, liberæ quibus nullum cum ijs fœdus intercedebat. Vera ne hæc ſunt, Mome? Veriſſima, inquit ille. Tum ego. Prouinciarum forma hæc & deſcriptio ſicuti Carolo Sigonio accepto ferenda eſt, qui eam clarius atque explicatius, quam alij ante feciſſent, ad viuum expreſſit, ita ſi in re peruetuſta ad acuenda ſaltem ingenia & veluti facem alijs præmonſtrandam diſquirere licet, non adeo plena abſolutaque eſt, vt omni ſuſpicione careat. quod vt planius fiat animaduertendum eſt. Hem, vt video, inquit hic ſubridens Momus, non leuiter à te Sigonius vapulabit. expecto, dum ſeni illi à cenſoria tua iſta virga & pau-

* *De iure C. R lib. 1. cap. 1 & de iure prouin. lib. 1. c. 1.*

& pauciora & leuiora deprecer verbera. At non ego, inquam, Mome is ſum, qui tantum mihi in eruditiſſimum hominem arrogem, cui Romanæ rei notitiam lucemque viri docti expenſam ferunt. ſed neque tamen eius manes ægre laturos vereor, pro ea ſentiendi libertate, quam ſuo iure ingenia poſtulant, ſi me non nihil ab illius ſententia declinare profitear.

¶ Animaduertendum igitur eſt, ſenſiſſe Sigonium, omnes prouinciarum ciuitates in duas primum claſſes diuidi, vt aliæ ſeruitute, aliæ libertate affectæ dicerentur, vtraſque vero in duas itidem ſpecies ſubdiuidi, illas quidem vel vectigales, ſeu quod non multum abeſt ſtipendiarias, vel immunes, has vero vel fœderatas, vel omnino liberas eſſe dictas. Mihi tamen, quod Sigonij pace dixerim, longe aliter ea ſe res habere videtur; cenſeo enim tres ſolas fuiſſe oppidorum in prouincijs differentias. Primi quidem generis fœderata, quæ in priſtina libertate conſeruata ſuas leges ſuam rempublicam in poteſtate haberent, coniuncta tamen populo Romano fœderis ſocietate. ab his vero reliqua omnia ſeruitutem ſeruijſſe. in duplici tamen conditione. alia enim immunia liberaque erant à vectigalibus, alia vectigal ſeu ſtipendium ſeu decumas pendebant. Et vt fœderatarum vrbium vim omnem naturamque cognoſcas, obſeruare debes, fœdus pactionem quamdam ſocietatis dictum, non Imperatoris arbitrio, vt in ſponſione fieri ſolitum, ſed populi Romani iuſſu, vel Senatus authoritate firmatum. neque ad tempus, ſed in perpetuum. non datis obſidibus, ſed per fœcialem publicum populi Romani nuncium ſolemni precatione adhibita contractum. Fœderis porro huius tres erant ſpecies. primum iniquiſſimum dicebatur, quale dedititiorum erat, qui ob id non in fœdere, ſed in ditione eſſe dicebantur. neque enim imperio in eos veluti pacatos vti licebat prius, quam omnia diuina & humana tradidiſſent, obſideſque accepti, arma adempta, præſidia ciuitatibus impoſita fuiſſent. alterum paulo æquius erat fœdus. cuius formula his præter alia verbis concipiebatur. *vt pia & æterna pax ſit, vt maieſtatem populi Romani comiter*, ideſt ſine dolo malo, *conſeruent*. quo fœderis genere Gaditanos coniunctos ſcribit Cicero in Corneliana. *Id*, ait, *hanc vim habet, vt ſit ille*

in foedere inferior . primum verbi genus hoc conſeruandi, quo magis in legibus, quam in foederibus vti, conſueuimus, imperantis eſt, non precantis . deinde cum alterius populi maieſtas conſeruari iubetur, ille populus in ſuperiori conditione cauſaque ponitur, cuius maieſtas foederis ſanctione defenditur. poſtremum fœdus æquum vel ſocietatis dicebatur . cum vel bello pares poſitis armis pari iure in ſocietatem & amicitiam veniebant, rebuſque per conuentionem redditis, ſi quarum turbata bello poſſeſſio fuerat, ea aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriuſque commodo cōponebatur: vel cum hi, qui numquam hoſtes fuerant, in amicitiam inter ſe ſociali fœdere coibant, permittebaturque ſuis quiſque legibus, ſuis magiſtratibus viuere . ſolum cauebatur, vt alter alterum iuuaret . Late has fœderum ſpecies ex Proculi * I. C. mente explicant Iacobus Menochius, * Barnabas Briſſonius, * Petrus Gregorius, * Petrus Faber, * Vuaremundus Eremberg . * & ante eos Liuius * & Sigonius . * Ex quibus fœderum generibus poſtremum reliqua duo multis nominibus dignitate antecedebat. quicumque enim in ea fœderis ſpecie cenſebantur, non aliam populi Romani rationem ducebat, quam quæ fœderis lege caueretur. Proinde, vt Sigonius * monet, magiſtratui populi Quiritium apud ſe diuertenti nihil dare cogebantur. quod ex Liuio * primum docemur, cum refert, L. Poſthumium Conſulem Prænestinis iratum, quod ſibi Præneſte, quæ libera & fœderata ciuitas erat, ſacrificij cauſa diuertenti nihil priuatim aut publice honoris exhibuiſſent, ad eos ſcripſiſſe, vt ſibi deinceps eo diuertenti locum pararent, magiſtratus obuiam exirent. *Ante hunc Conſulem,* ſubdit Liuius, *nemo vnquam ſocijs vlla in re oneri aut ſumptui fuit . ideo magiſtratus mulis, tabernaculis, & omni alio inſtrumento ornabantur, ne quid tale ſocijs imperarent*. id quoque ipſum P. Lentuli exemplo * confirmatur . is cum Aſiam prouinciam pro Quæſtore obtineret, ac fœderis iure, quo Rhodij pridē iurauerant, ſe eoſdem hoſtes habituros, quos S.P.Q.R. ſperaret, fore, vt illi eum claſſe præſidioque militum confirmaret; nedum ſpe ſua fruſtratus eſt, ſed vrbe quoque portu, commeatu eius milites prohibiti. vix pro Quæſtor ipſe, nec niſi nauigiolo in vrbem receptus. quam indignitatem diminutionem

* *l. non dubito ff. de capt. & poſtlim. reu.*
* *de arbitr. iud. q. 100.*
* *de formulis RR. lib. 4*
* *de republ. li 11. tit. 11*
* *Semeſtriū lib. 1. cap. 7.*
* *de fœderibus cap 4.*
* *lib. 24.*
* *De iure Ital. l. 1. c. 1*
* *De iure prouinc. lib. 2 cap 5.*
* *lib. 42.*
* *apud Cic. epiſt. famil. lib. 12. ep. 15*

nutionemque maieſtatis populi Romani grauiſſime ille queritur, publicis litteris ad Senatum datis. neque enimuero Ciceronem aliæ cauſæ à Mamertinis alienarunt. nam cum inquiſiturus in Verrem Meſſanam veniſſet, noſtri neque eum publice inuitarunt, neque tecto ac domo exceperunt. qua de re his præſertim verbis agit. * Ecquæ ciuitas eſt non modo in prouincijs noſtris, verum in vltimis nationibus, aut tam potens, aut tam immanis & barbara, Rex denique ecquis eſt, qui Senatorem populi Romani tecto ac domo non inuitet? qui honos non homini ſolum habetur, ſed primum populo Romano, cuius beneficio in hunc ordinem venimus, deinde ordinis authoritati. quæ niſi grauis erit apud ſocios, externaſque nationes, vbi erit imperij nomen & dignitas. ſcilicet ea erat illorum temporum probitas, ea Senatorum populi Romani, an Regum dixerim, modeſtia atque humanitas, vt ſummi beneficij loco poſituri fuiſſent, ſi eos ad te diuertentes publico quopiam honoris genere proſecutus eſſes. nunc quod vel peculiare eſt vrbis noſtræ fatum, vel corrupti ſæculi infelicitas, cum proximos à diuinitate honores aliquibus conceſſeris, tantum abeſt, vt ab ijs vllam ineas gratiam, vt imo beneficijs illis inimiciſſimum hoſtem paraſſe videare.

¶ Illud etiam in hoc fœdere erat præcipuum, quod & ſi fœderati aliquid ex fœderis lege deberent, in reliquis tamen liberi omnino erant. adeoque, niſi contraria pactione prohiberentur, poterant lege ſancire, ne quis caſtra Romani Imperatoris ſequeretur, neue pro ea republica pugnaret. *Quod ſi decretis legibuſue ſuis*, ait Cicero, * *ſanxiſſent*, (de Gaditanis res erat) *ne quis ſuorum ciuium caſtra Romani Imperatoris iniret, ne quis ſe pro noſtro imperio in periculum capitis atque in vita diſcrimen inferret, Gaditanorum auxilijs, cum vellemus, vti nobis non liceret.* & paulo poſt. *grauiter id iure ferremus, minui auxilia populi Romani, debilitari animos fortiſſimorum virorum, alienigenarum nos hominum ſtudijs atque externa virtute deſtitui.* Poterant, ſuo iure atque arbitratu, bella cum hoſte ſuſcipere. vnde cum Samnites à Campanis & Latinis, quorum hi æquo fœdere cum Romanis amicitiam contraxerant, bello prꝫmerentur, deque ea re Senatum conſulentes, orarent, ne

* pro Cornelio Balbo.

O 2 vinci

vinci ſe ab ignauiſſimis ſinerent, Latinos, Campanoſque, ſi ſub ditione populi Romani eſſent, pro imperio arcerẽt Samniti agro, ſin imperium abnuerent, armis coercerent; aduerſum hæc reſponſum anceps datum, Liuius * ſcribit, *quia*, inquit, *fateri pigebat, in poteſtate ſua Latinos iam non eſſe; timebantque, ne arguendo alienarent. Campanorum aliam conditionem eſſe, qui non foedere, ſed per deditionem in fidem veniſſent. itaque Campanos, ſeu velint, ſeu nolint, quieturos. in foedere Latino nihil eſſe, quod bellare, cum quibus ipſi velint, probibeantur*. Inde nullum inter Quirites & fœderatos poſtliminij ius. quod cum ijs tantum * poſitum erat, qui vel hoſtes Romanis eſſent, vel ſaltem exteri, ſiue peregrini. id eſt qui neque fœdere, neque amicitia, neque hoſpitio illos attingerent. quare rectiſſime Budæus * annotauit, mendum eſſe in textu l. non dubito in Pandectis de captiu. & poſtlim. reuerſ. cum enim vulgo ita habeat. *Non dubito, quin foederati & liberi nobis extranei ſint*, negationem addendam Budæus cenſuit, legendumque. *Non dubito, quin foederati & liberi nobis extranei non ſint*. quam lectionem ratio confirmat, quam I.C. affert. *Etenim quid*, ait, *inter nos atque eos poſtliminio opus eſt, cum illi apud nos & libertatem ſuam æque atque apud ſe retineant, & eadem nobis apud eos contingant*. Ciui quoque Romano in fœderatas vrbes exilij cauſa commigrare, permittebatur. * vt quæ liberæ eſſent, ſuamque rempublicam in poteſtate haberent. *Eſt autem*, ait Polibius, * *fugientibus ſecuritas in Neapolitanorum, Praneſtinorum, & Tiburtinorum ciuitate, & reliquis foedere coniunctis*. & conſueuiſſe Romanos exules Maſſiliam petere, vt quæ amica ciuitas, & fœderata eſſet, exemplo T. Annij Milonis Manutius * docet. Quid, quod Romani magiſtratus nullam in fœderatas ciuitates iuris dicendi facultatem habuere? ac propterea minus expoſitæ libidini Prætorum aut Proconſulum erant. quod Cicero * ijs verbis ſignificat. *Tauromenitani, quorum ciuitas foederata, bomineſque victiſſimi, qui maxime ab iniurijs noſtrorum magiſtratuum remotiſſimi conſueuerant eſſe, præſidio foederis*. Ab eadem mente illud, quod in fœdere cum Poenis poſt primum bellum Punicum inito expreſſim cautum eſt. *Neuter in alieno imperio imperato*. tum illud etiam, quod de

* lib. 8.
* l. poſtliminij ff. de captiu. & poſtlim. reuerſ.
* In notis ad l. non dubito.
* Sigonius de iur. Ital. lib. 2. c. 14.
* lib. 6.
* In notis ad ſecundã in Catil.
* In Verr. act. 3. lib. 2.

Germa-

Germanico Tacitus * ſcriptum reliquit. *Athenas eum veniſſe, foederiqueſociæ, ac vetuſtæ vrbis hoc datum, vt vno lictore vteretur*. eadem pene de Antonio in iiſdem Athenis degente Appianus, * & de Tiberio, * cum Rhodi degeret, Suetonius * notat. qui item de Caligula memoriæ prodidit. *Domi foriſque ciuilis, libera & foederata oppida ſine lictoribus adibat. quibus verbis*, ait Budæus, * *ſignificat modeſtiores populi Romani magiſtratus non eſſe ſolitos cum faſcibus inſignĳſque magiſtratuum imperioſe verſari inter ſocios & foederatos*. Eiuſdem generis illud eſt, quod in Plutarcho * legimus de Cn. Pompeio in Siciliam cum imperio miſſo ad reprimendos Perpennæ motus. *In hos*, inquit, *Pompeius magnis copĳs miſſus. Perpenna ſtatim ei Sicilia ceſſit. vbi afflictas ciuitates recreauit, omnibuſque ſe humanum præbuit, extra Mamertinos. detrectantibus enim tribunal ſuum & iuriſdictionem, à qua contendebant, veteri populi Romani formula ſe eſſe exemptos, non deſinitis, inquit Pompeius, nobis gladio ſuccinctis citare leges*? hæc enim Hermanni Cruſerĳ è Græco interpretatio mihi magis arridet, quam ea, quam alĳ proferunt. *Non deſinitis inſtituta recitare ſuccincti gladĳs*. nam quis credat, Mamertinos adeo vel furioſos vel animi impotentes fuiſſe, qui vi armiſque ab Pompeio orbis Romani viribus inſtructo extorquere ius ſuum auderent.

* apud Liu. li. 21. & Sigon. in Faſtis an 512.
* lib 2.
* lib. 4.
* in Tiberio cap. 11.
* In notis ad l. non dubito Menoch. loc. cit. nu. 10. Lipſius in notis ad Tacit. loco cit.
* In Pompeio.

¶ Quouſque tandem ludis, inquit hic Momus: tanta ne impunitas garriendi? atqui ego iamdiu multumque eſt, cum farraginis iſtius & longiſſimæ fabulæ caput conieci. ſcilicet hac tua ſermonis volubilitate docere, ſi Dĳs placet, conaris, Magiſtratus Romanos neutiquam Meſſanæ ius dicere ſolitos. Ita ne vero? Id ipſum, inquam ego. ò ſagaciſſimum caput. nempe

Iſthuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt
Videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt, proſpicere.

Tum Momus. Quid vero ſi doceam, toto cœlo aberrare te? nam cur obſecro Macedonum Legatus in concilio Aetolorum dixit. * *Siculorum ciuitatibus Syracuſas, Meſſanam, aut Liliboeum indicitur concilium à Prætore Romano. conuentus agitur. eo euocati conueniunt. excelſo in ſuggeſtu ſuperba iura reddentem, ſtipatum lictoribus vident. virga ter-*

* apud Liu. lib. 31.

ſubdit. *Quid ſi L.Pretium equitem Romanum, qui tum in Sicilia negotiaretur, nominabat, etiam ne id magnum fuit, Panhormum litteras mittere, aſſeruaſſe hominem cuſtodijs Mamertinorum tuorum, vinctum, clauſum habuiſſe, dum Panhormo Pretius veniret?* quibus verbis ſatis aperte edocemur, C. Verrem Prætorem nullum Meſſanæ carcerem habuiſſe, qui ſuapte natura iuriſdictionem ſequitur, ſed commodatis, vt ſic dixerim, Mamertinorum cuſtodijs vſum eſſe. Atqui, inquit Hermeas, idem ille Proculus I.C. quem ante laudabas, diuerſum aliquid videtur docere. nempe fœderatos homines Romæ inter reorum nomina recipi, & in eos damnatos animaduerti potuiſſe. Iuriſconſulti illa ſunt verba. *At fiunt apud nos rei ex foederatis ciuitatibus, & in eos damnatos animaduertimus.* iam, quid ad hoc reſpondeas Geni, vide. Et vidi, inquam ego, & facile reſpondeo cum Dioniſio Gothifredo, * qui illud caput legis ita legendum cenſet. *At ſi fiunt apud nos rei ex ciuitatibus foederatis & in eos damnatos animaduertimus.* quaſi Proculi mens ſit docere, ſi quis ex fœderato oppido capitale crimen Romæ admiſerit, recte in eum per magiſtratus Romanos animaduerti poſſe. ſcilicet quia in hac ſpecie, delicti prætextu, vt diſciplinæ veſtræ verbis in loco vtar, Romæ forum ſortitur. quod ipſum Budeus ſubinnuere videtur, & ante eum alij docuere. Quod ſi Cicero aliquo in loco dixit, (id vero ſola ſuſpitione ego aſſequor, neque enim me legiſſe certo memini) Mamertinos aut fœderatos in fide, in imperio populi Romani eſſe, non id eam ſignificationem habet, quaſi ſub illius ditione & dominatu eſſent, ſed vt ſub tutela, clientela, &, vt receptum vulgo vocabulum vſurpem, ſub protectione eſſe intelligerentur. eodem prorſus ſenſu, quo Genuenſes, & Veſontij ſub Hiſpaniarum Rege Opt.Max.& Aquęgranæ ſub Iuliacenſium Ducum fide eſſe dicuntur, vt pulcherrime explicat Philippus Cluuerius in Germanicarum antiquitatum libris. *lib.1.c.49*

In notis ad l. non dubito.

¶ Iam vero, vt eo redeam, vnde me hic ſermo abduxerat, fœdus quod Mamertinos cum Romanis iniiſſe docui, neque primi, neque alterius, ſed tertij generis fuiſſe, præterquam quod id clariſſime oſtendit Cicero, qui fœdus illud ſocietatis appellat, Vuaremundus quoque Eremberg * ex

loc.cit.c.4

Liuio,

Liuio, Briſſonio, Bodino & Aiala docet, inter æqui fœderis exempla reponenda illa, quibus ciuitates, populi, prouinciæ tutelæ ſe ac fidei alterius dedunt. Quo fit vt Mamertinum hoc fœdus æquiſſimum iure meritoque dici debeat, cum non dedititio iure Mamertini illud contraxerint, ſed, vti Zonaras teſtatur, bello Rhegino pares, poſitis armis pactione in ſocietatem & amicitiam venerint. tandem ſuperiora exempla id certiſſime euincunt, quæ non niſi in huius tertij generis fœderata oppida quadrare poſſunt. E diuerſo enim * ciuitates, quæ in ſecunda fœderis ſpecie continerentur, hoſtes eoſdem, quos populus Romanus, habere, arma in eos inferre, bellum pariter gerere, captiuos, perfugas reddere tenebantur, qui vero Roma exules eſſent, ijs in eas vrbes migrare non licebat. id enim ſi licuiſſet, non populi Romani maieſtas conſeruari, ſed ſperni, non reddi perfugæ & fugitiui, ſed defendi dicerentur, magiſtratui quoque Romano obnoxij erant, niſi fœderis lege id fuiſſet exceptum. quod Gaditanorum exemplo conſtat. nam cum Gades præfectum Roma mitti conſuetum eſſet, * id poſtea remiſſum eſt, quia in fœdere cum L. Marcio inito id expreſſe actum erat, ne ſub Romano magiſtratu eſſent. quæ omnia fuſe diſerteque Budæus, Menochius & Eremberg. locis ante laudatis annotarunt. Igitur ex his, quæ hactenus à me dicta ſunt, vt veſtigia mea relegam, faciliime duo illa conficiuntur, quæ me demonſtraturum initio recepi. & vt fidem meam eodem ordine liberem, quo illam obſtrinxi, oſtendam primo Mamertinos ſemper immunes, & nulli obnoxios oneri fuiſſe. deinde illud exequar, fœderatorum cauſam conditionemque digniorem ac meliorem, quam ea eſſet, qua quinque illæ liberæ & immunes ciuitates cenſebantur. Et quidem fœderatarum vrbium immunitatem ſuperfluum fuerit pluribus oſtendere. cum enim fœderati ſuas vrbes in poteſtate habuerint, cum ſui ſemper iuris, ſui arbitrij fuerint, fruſtra de probanda immunitate contendimus. *pugnant enim inter ſe ſubditum aut vectigalem, & foederatum eſſe*, ait Faber, * *neque foederatus dici is poteſt, qui ſubditus aut vectigalis eſt nec ſuis vtitur legibus*, præſertim cum Cicero dubitationem omnem ſuſtulerit, cum dixit. *Foederatæ in Sicilia ciuitates duæ ſunt, quarum decumæ venire non ſoleant, Meſſana & Tauro-*

* *Budæus, Briſſonius, Gregor. Faber Sigon. loc. cit.*

* *Sigon. de iur. prouin. lib. 1. cap. 5.*

* *Semeſtriũ 1. cap. 7.*

Tauromenium. Nam quo illud referendum exiſtimas Mome, quod ſane pulcherrimam conſiderationem habet. iam antea dixi, tres fuiſſe in Sicilia conuentus Ciuium Romanorum & Siculorum, quo iuſſu Prætoris euocatis ciuitatibus, ac prouincialibus iura ſingulis reddebantur. illud etiam addidi, Meſſanæ, quamquam fœderato in oppido, ius dictum à Prætore eſſe, haud quidem in Mamertinos, ſed vel in Ciues Roman. vel in Siculos homines, ſiue vt honos ei ciuitati haberetur, ſiue vt ne iis, qui proxima Mamertinæ ditioni loca incolebant, iudiciorum cauſa Syracuſas vel Lilibœum, longa ducentorum fere milliarium itineratione, contendere opus eſſet. Quæſtores vero, qui vectigalibus exigendis præficiebantur, non niſi duos fuiſſe * norunt omnes. alterum prouinciæ Syracuſanæ, Lilibœtanæ alterum. at cur vero non Meſſanæ ſuus Quæſtor itidem, vt conuentus datus? an quia Meſſana, & Tauromenio nullæ, vt inquit Cicero, decumæ veniebant? Accedit, quod alio quoque titulo Mamertinos fuiſſe immunes, intelligere ex eo poſſumus, quod ciuitatis Romanæ iura adepti iam eſſent. Ciues vero Romanos non modo portoriorum, quæ in Italia, ſed etiam quæ in prouincijs caperentur, immunitatem habuiſſe Sigonius * probat, cum ex Liuio docet, Ambracienſes cum Romanis conueniſſe, vt portoria, quæ vellent, terra marique exigerent, dum eorum Romani & ſocij Latini nominis immunes eſſent. Illa enim, quæ initio obiecisti Mome, debuiſſe Mamertinos nauem, nautam, militem; haud quidem ita accipias velim, quaſi vectigalium nomine exigerentur, aut quia reſciſſum foedus, aut abrogata immunitas fuiſſet. ſed quia ab primo ſocietatis ingreſſu foederis lege ita cautum, vt nauem inſtructam darent, quæ in freto ante ſua tecta & domos nauigaret, qua ſua moenia portuſque defenderent. quod mille locis Cicero teſtatum reliquit. idem in Thermeſibus Piſidis obſeruatum. * qui cum liberi foederati ac ſocij pronunciati eſſent, tamen ad finem plebiſciti, illud quoque additum, *ne magiſtratus iis dare aliquid imperet, niſi quod ex edicto Senatus & ex Lege Porcia dari præberi, oportebit.* Eſto hæc ita ſint, inquit hic Momus; at quid iam reſpondebis de ſexaginta illis tritici modium millibus, * quæ non ex foedere, ſed ex Senatuſconſulto ſoluebantur. Hæc vero, inquam, ne-

** Sigon. de iur. prouinc. lib. 1. cap 3. Aſcon. in Diuinat.*

** De iure Ital. lib. 3. cap. 16.*

** Sigon de iur. prouinc. lib. 1. c. 10.*

** Cicer. act. 6. lib. 5.*

que foedus, neque immunitatem deſtruebant. ſicuti neque

* Cicer act. 3 lib. 4. Centuripinorum, * neque Halicienſium iura per eius oneris penſitationem nihilò minuebantur. qui populi cum eſſent immunes, huic tamen muneri obnoxij fuere. non enim huiuſmodi frumenti genus ex eo erat, quod exigeretur vt decumæ, ſed ex eo quod præſenti pecunia populus Romanus emeret. *nam cum ex S.C. & ex Lege Terentia,* inquit Cicero, *

* action. 6. lib. 5. *frumentum vendi æquabiliter ab omnibus Siciliæ ciuitatibus oporteret, id quoque munus alioqui leue commune Mamertinis fuit, vt foro ſaltem & commeatu populum Romanum iuuarent.* quod ne dum amicis populis, ſed & hoſtibus interdum ſine vllo libertatis detrimento concedimus. Neque vero eſt, quod alicui ſcrupulum inijciant hæc, quæ dicebam, debuiſſe ſcilicet Mamertinos tot hæc ex fœderis lege. certiſſime enim exiſtimandum eſt, vt reciprocæ ſunt foederum pactiones, Romanos Mamertinis aliquid inuicem promiſiſſe. auxilia nempe temporibus dubijs, claſſem, militem & id genus alia. Accedit eam fuiſſe populi Romani receptam conſuetudinem, vt neminem fere ſociorum aut foederatorum loco reciperet, cui non oneris aliquid in foedere imperaret. Vnus Cicero * multorum loco ſit.

* action. 6. lib. 5. *Quæ colonia eſt,* inquit, *tam bono iure in Italia, quod tam immune municipium, quod per hos annos tam commoda vacatione vſum ſit omnium rerum, quam Mamertina ciuitas. ſoli iſto prætore omnium rerum immunes fuerunt. ſoli iſtius imperio ea vita conditione, vt populo Romano nihil darent, Verri nihil denegarent.* & alibi * de iiſdem Mamertinis.

* action. 5. lib. 4. *Per triennium,* ait, *ſoli non modo in Sicilia, ſed vt opinio mea fert his quidem temporibus in omni orbe terrarum, ſoluti ab omni ſumptu, moleſtia, munere.* Atque hæc Mome de Mamertinorum immunitate dixiſſe ſufficiat.

¶ Supereſt, iam altera promiſſi pars, qua oſtendendum foederatarum vrbium conditionem ab alijs optimam in prouincijs fuiſſe. & quod ad immunitatem ſpectat, non inficias eo, hinc foederatas vrbes Meſſanam & Tauromenium, inde Centuripinam, Halicienſem, Segeſtanam, Haleſinam & Panhormitanam æquo iure & conditione fuiſſe. hoc ſolum differre, aio, quod iſtæ veluti precario poſſidere ab populo Romano immunitatem eam viderentur, quam illæ ſuo

iure haberent. ſi vero libertatem inſpicimus, facillimum fuerit oſtendere, illud inter eas ciuitates diſcrimen fuiſſe, quo liberi à ſeruis diſtant. & ſane quidem fœderatas fuiſſe relictas in priſtina libertate, tum illa ſignificant, quæ ſupra à me late diſputata ſunt, tam etiam Latinorum exemplum; quos, cum fœderati eſſent, Romanos fateri pigebat in poteſtate ſua non eſſe. Sigonius * quoque idipſum confirmat, & ex Suetonio Petrus Faber, * cum refert. *Auguſtum Cæſarem multas vrbium fœderatarum, ſed ad exitium licentia præcipites, libertate priuaſſe.* & multo ante iſtos I.C. loco paulo ante indicato docuerat. * *Liber autem populus is eſt, qui nullius alterius poteſtati eſt ſubiectus. ſiue is fœderatus eſt, ſiue fœdere eſt comprehenſum, vt is populus maieſtatem alterius comiter conſeruet.* Quid ſi doceo, Meſſanam præſertim poſt populi Romani ingreſſum in Siciliam idem ius libertatis apud hos retinuiſſe? ſane, præter quam quod luculenter id Hotomanus * docet, apud Zonaram * C. Claudius Tribunus ab Appio Conſule ad Mamertinos miſſus, *ſe liberandæ ciuitatis cauſa adeſſe* dixit, *& rebus in integrum reſtitutis receſſurum.* Polibius * quoque ita ſcribit. *Romani ſublatis animis maiora mente agitare. neque iam ijs rationibus, quibus principio inducti fuerant, aut Mamertinos Meſſanamque ſeruaſſe, aut Carthaginienſium opes contriuiſſe in Sicilia contenti erant.* certe ſi Meſſanam, cum Mamertini Pœnos vrbe & arce eieciſſent, in populi Romani poteſtatem recidiſſe credendum eſſet, non video, quæ iſta libertas fuerit, quam Legatus Appij promiſit. non video, qua ratione Meſſanam ſeruaſſe Romani dici poſſint. niſi & illum ſeruatum dixerimus, qui, vt in prouerbio eſt, ne fumo torqueatur, in flammas ſua ſponte incurrat. Cæteras autem à fœderatis vrbes ſiue immunes ac liberæ ab oneribus eſſent, ſiue vectigales ſeruitutem omnes ſeruijſſe, vt cenſeam; ac proinde vt quartam illam ſpeciem earum ciuitatum reijciam, quæ non quidem fœderatæ, liberæ tamen eſſent ab imperio ac poteſtate populi Romani, multa me trahunt. Vix ego hæc, cum Senator quidam, (excidit nomen) Præclare ſatis, inquit, Panhormitanis erit, ſi eos in ſeruitutem vindicas Geni, & fortaſſe ne id quidem illis continget, quod in gladiatorio certamine plerunque vſu venit, in quo pri-

* *De iure Ital. lib. 1. cap. 14.*
* *Semeſtr. 1 cap. 7.*
* *l. non dubito ff. de captiuis.*
* *In notis ad Cicer. actiones. 4. lib. 3.*
* *tom. 2.*
* *lib. 1.*

mum illud eſt gladiatori, ſi antagoniſtam punctim vel cæſim feriat. quod ſi non poſſit, proximum eſt, vt ſaltem bene tegat latus ſuum, nullaque plaga accepta excedat è pugna. ita ego Panhormitanis primum illud votum fuiſſe ſuſpicor, ſi Mamertinorum res præclare geſtas vel deterius interpretando, vel penitus negando, aſpergere vlla labe poſſent. nunc vero cum à te rem in eum locum deductam eſſe videam, vt de eorum libertatis ſtatu diſputandum ſit, optime cum ijs actum iri intelligo, quod tamen vereor, ſi ex hac pugna latere tecto & inoffenſis abſcedere liceat. Tum ego. Recte, inquam, conijcis. & qui paulo ante tumultuarijs editis ſcriptis exultant, &, ſi Dijs placet, etiam triumphant, cum foederatos ſe populo Romano fuiſſe gloriantur, ſi modo animum inducant, ſeruos ſe potius fuiſſe liquido deprehendent. Atqui Sigonij tota iſta culpa eſt, inquit Momus. qui omnium primus Centuripinos, Halicienſes, Segeſtanos, Haleſinos, Panhormitanos foederatos fuiſſe ſcripſit. * ex quo poſtea Corſettus hauſit. Id vero, inquam, facile tibi largior Mome. non tamen intelligo, quis excuſationi locus eſſe poſſit. ſi is qui ex profeſſo rem tractet, quæcumque apud authores obuios legerit, ſine vllo delectu farciat. nec proinde culpæ immunis ille, ſi Sigoniano exemplari librariorum vitio non paulo corrupto credens id exſcripſerit. tardi enim ingenij eſſe, Cicero * ſcribit, riuulos conſectari, fontes rerum non videre. Locus vero Ciceronis, quem Sigonius laudat, eas vrbes non foederatas, ſed ſine foedere immunes ac liberas appellat.

Corſet. pag. 74. 75.

** lib. 1. c. 3. de iure prouinc.*

** de Oratore lib. 2.*

¶ Sed age iam Mome minutiores hos lapſus, qui frequentiſſimi ſunt, miſſos faciamus. Ac primum pro mea hac ſtabilienda opinione Ciceronis integer locus mihi eſt proferendus, qui Sicularum ciuitatum conditiones & differentias minutiſſime perſequitur. * *Siciliæ ciuitates*, ait, *ſic in amicitiam recepimus, vt eodem iure eſſent, quo fuiſſent. eadem conditione populo Romano parerent, qua ſuis antea paruiſſent. perpaucæ Siciliæ ciuitates ſunt bello à maioribus noſtris ſubactæ. quarum ager, cum eſſet publicus, populi Romani factus, tamen illis eſt redditus. is ager à cenſoribus locari ſolet. Foederatæ ciuitates duæ ſunt, quarum decumæ venire non ſoleant, Mamertina, & Tauromenitana. quinque præ-*

** action. 4. lib. 3.*

terea

terea ſine foedere immunes ciuitates ac liberæ Centuripina, Haleſina, Segeſtana, Halicienſis, Panhormitana. præterea omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus eſt, itemque ante imperium populi Romani ipſorum Siculorum voluntate & inſtitutis fuit. eſt & alter * locus eiuſdem fere ſententiæ. *Denique cum ex S. C. & ex lege Terentia & Caſſia frumentum æquabiliter emi ab omnibus Siciliæ ciuitatibus oporteret; id quoque munus leue atque commune Mamertinis remiſiſti. Dices frumentum Mamertinos non debere. an vt ne venderent? non enim erat hoc genus ex eo frumenti genere, quod exigeretur, ſed ex eo quod emeretur. te ne igitur authore & interprete ne foro quidem & commeatu Mamertini populum Romanum iuuare debuerint. quæ tandem ciuitas fuit, quæ deberet? qui publicos agros arant, certum eſt quid ex lege cenſoria debeant*; (repetit hic, quam alijs verbis ſupra dixerat, populorum diuiſionem) *cur ijs quicquam ex alio genere imperaſti? quid decumani, numquid præter ſingulas decumas ex lege Hieronica debent? cur ijs quoque ſtatuiſti, quantum ex hoc genere empti frumenti darent? qui ſunt immunes, ij certe nihil dare debent. at ijs non modo imperaſti, verum etiam, quo plus darent, quam poterant, hæc ſexaginta modium millia, quæ Mamertinis remiſiſti, addidiſti*. Quæ Ciceronis verba eo tranſcripſi, quod ex ijs, veluti ex tabula, clariſſime Sicularum ciuitatum rerumque, vt ea ferebat ætas, facies quædam adumbrari videatur. Itaque ex priori loco apparet, Siculas ciuitates vel foederatas, vel immunes ac liberas, fuiſſe. præter has vero omnem omnino agrum decumanum, perpaucis exceptis illis oppidis, quæ ſeptemdecim numero alibi fuiſſe, tradit, quibus bello à Romanis ſubactis, publici eorum agri iure belli populi Romani facti, à Cenſoribus locari ciuibus Roman. aut prouincialibus ſolebant, atque adeo quia horum incolæ acriores Romanorum hoſtes fuerant, durioribus legibus conſtricti ſunt, vt non decumam, vt reliqui Siculi ſoluerent, ſed eam penſionem, quam Cenſores in locationibus agrorum ſtatuiſſent. Altero ex loco identidem colligimus eamdem oppidorum diſtinctionem paulo diuerſis verbis. ſcilicet Siculos omnes vel foederatos, quales Mamertini & Tauromininitani, vel immunes fuiſſe, quales Centuripini, Haleſini,

* *actio. 6. lib. 5.*

ni, Segeſtani, Halicienſes, Panhormitani. alios item publicos populi Romani agros araſſe, quales fuere ſeptemdecim illi populi, quos durius habitos dixi. alios tandem decumanos, qui reliquas Siciliæ vrbes tenebant.

¶ Igitur conferendo inuicem ea, quæ traduntur his locis, conſtat, tres fuiſſe primas differentias ciuitatum Foederatarum, Immunium & liberarum & Vectigalium. quæ poſtremæ vel decumam pendebant, vel id ſtipendium, quod cum Cenſoribus in conductione agrorum eſſet pactum. quartam vero illam ſpeciem, quam Sigonius ab inferis excitat, earum ſcilicet, quæ neque foederatæ, neque ſeruitute affectæ, vel immunes, vel vectigales, ſed liberæ ſolummodo eſſent ab Imperio populi Romani, Cicero nullam agnoſcit: quod ſi replices, has quas deſideramus, liberas ciuitates illas ipſas eſſe, quas immunes & liberas appellat, primum ex te peto, quæ ergo erunt exempla ciuitatum, quæ tertia in ſpecie continebantur, vt ſeruitutem quidem ſeruirent, ſed immunes tamen à vectigalibus eſſent. certe hæ, ſi non quinque illæ ſunt, quæ tandem aliæ erunt? neque vero Ciceronem ego incurioſum adeo habuerim, vel ſtupidum, vt cum Siculæ prouinciæ ſchema enarrandum ſibi ſuſcepiſſet, ſolam hanc tertiam ſpeciem ſuis exemplis illuſtrare & veluti digito demonſtrare, prætermiſerit. Ad hæc vbi nam gentium Sigonius obſeruauit, in regione vlla, quam populus Romanus in prouinciæ formam redegiſſet, vel vnum oppidum fuiſſe, quod vel ſub eius ditione non eſſet, vel, ſi liberum & ſui iuris, non foedere ſaltem & ſocietate iungeretur? deinde ſi quinque illę ciuitates liberæ, ideſt ſolutæ ab imperio & iuriſdictione populi Romani, cur Centuripini * ſtatuam ab ipſis C. Verri erectam, deinde ex eorum S. C. deiectam, Metelli Romani Prætoris iuſſu reſtituere coacti ſunt? cur Nimpho * etiam Centuripinus apud C. Verrem in ius vocatus, datis ab hoc recuperatoribus condemnatus? cur ex eadem ciuitate Heraclius * in pecuniaria cauſa apud Verrem conuenitur? cur Halicienſis Sopater * rei capitalis apud C. Sacerdotem primum, iterum apud C. Verrem accuſatur? cur Q. Minucius Sopatri aduocatus, cum iuſſus à Verre cauſam clientis dicere, ad quos dixiſſet, ac Verre, ad me reſpondente, ſi tibi idoneus videor, qui de homine Græculo

* Cicer. in Verr. act. 3. lib. 2.
* act. 4. li. 3
* act. 3. l. 2.
* act. 3. li. 2

ac Siculo iudicem, cur, inquam, Minucius, idoneus es, reſpondit? cur non magis Romani Prætoris in alienum hominem & liberum, vtpote Halicienſem, iuriſdictionem declinauit? cur demum idem Verres Apollonium * Panhormitanum ad ſe Panhormi vocari, ac de tribunali citari fecit? cur duodeuiginti menſibus carceri incluſum tenuit, cur tam grauiter in non ſuæ ditionis hominem animaduertit. certe id genus iudiciarij actus neque in peregrinum & alienum hominem, neque in libera & ſuæ poteſtatis ciuitate exerceri potuiſſent. docemur id ex Cicerone in oratione de prouincijs conſularibus, quo loci Piſonem his verbis exagitat. *Omitto iuriſdictionem in liberam ciuitatem, contra leges & Senatuſconſulta*. & iterum in Piſoniana. *Tum emiſti tam grandi pecunia, vt tibi de pecunijs creditis in liberos populos, contra leges generi tui, contra Senatuſconſulta ius dicere liceret.* Illud quoque hoc ſuadet, quod Siculæ ciuitates eodem iure ſub Romanis fuere, quo antea fuerant, vel ipſius Ciceronis teſtimonio. quare cum ante Appij aduentum Meſſana excepta & ijs oppidis, quæ Mamertinis parebant, reliqua omnia * vel Hieronis vel Poenorum imperio tenerentur, recte inde colligitur, eadem Romanis Siciliam ingreſſis in horum poteſtatem recidiſſe. Quid quod generatim Sigonius docet, inſulæ partem illam, quæ à Poenis olim poſſeſſa, in prouinciæ formam redactam fuiſſe? quod fortaſſe ex Polibio & Zonara excerpſit. quorum ille, * *Carthaginienſes quidem*, ait, *Sicilia omni exceſſerunt Romani vero omnem inſulam præter ea loca quæ Hieron Syracuſarum Rex tenebat imperio ſuo adiecere.* iſte, * Q. Lutatium Cerronem Conſulem in Siciliam profectum, omnia cum Catulo compoſuiſſe, armaque ademiſſe. atque adeo Siciliam excepto Hieronis regno ſeruitute mulctatam ſcribit.

* actio 6. lib. 5.

* Polib li. 1 Sigon. de iure prouinc. lib. 1. cap. 3.

* lib. 1. in princ.

* tom. 2.

¶ At enim Sigonio, inquit Momus, fauent verba illa Ciceronis, quibus immunes ac liberas eas ciuitates appellat. non ergo ſeruitute affectæ fuiſſe dici poſſunt. ſed non ad eam faciem Mome liberæ dicuntur, inquam ego, quaſi nullam ſeruitutem ſeruirent, nec ſub ditione populi Romani, ſed ſui iuris eſſent; ſed ſolum, vt liberæ & immunes ab oneribus & vectigalibus intelligerentur. quod non vno in loco veluti ſe ipſum planius explicans Cicero innuit. *Aratores,* * inquit,

* action. 5. lib. 3.

quit, *oderunt propter decumas*. *quid qui agros immunes liberoſque arant, cur oderunt?* explicat ſtatim, qui hi ſint. *Cur Haleſini, cur Segeſtani, cur Centuripini.* alioqui vero ſi verbi liberos ea vis hoc loco eſſet, vt ſeruituti libertas opponitur, haud dubie improprius aliquanto locutum Ciceronem diceremus. proprie enim homines ciuitateſue ſeruitutem imperij ſeruire, vel ſub iuriſdictione eſſe quis dixerit, non itidem campos vel agros. quos viciſſim à vectigalibus liberos atque immunes recte proprieque aliquis appellauerit. alibi * etiam Cicero hos ipſos populos, quos immunes & liberos hic vocat, ſimpliciter immunes effert. *Quid Halicienſes?* inquit, *quorum incolæ decimas dant, ipſi agros immunes habent. nonne huic eidem Turpioni H.S. XV. dare coacti ſunt?* & paulo poſt, *Segeſtam item ad immunem ciuitatem Venerius Simmachus decumanus immittitur.* Confirmantur hæc ex Piſoniana, quo loco ſic habet. *Quem ſocij, quem foederati, quem liberi, quem vectigales, quem ſtipendiarij, quem negotiatores, quem publicani, quem vniuerſa ciuitas, quem legati, quem tribuni militares, quem reliqui milites omni cruciatu dignum putant.* Ex qua clauſula duo colligo. primum id, quod ſuperius dixeram, tres ſolas fuiſſe differentias ciuitatum, quæ in amicitia & ſocietate Romani nominis cenſerentur. Fœderatarum, Liberarum id eſt immunium ab vectigalium onere & tertio loco earum, quæ Vectigales, ſeu quod non multum abeſt ſtipendiariæ dictæ. Alterum eſt, verbi Liberos in ſubiecta hac materia acceptionem eſſe de libertate ab oneribus & tributis. alioqui enim mancus fuiſſe Cicero in hac ſociorum recenſione videretur, qui populos illos omiſerit, qui ſub ditione imperioque populi Romani, immunes tamen à vectigalibus erant. Plinius * quoque ab eadem mente eſt, cum in Siciliæ deſcriptione, de quinque ijs ciuitatibus loquens, eas immunes tantum appellat, nec Diodorus * abnuit. qui de Haleſa loquens. *Succeſſu temporis*, ait, *vbi ciuitatis huius opes, tum propter negotiationes maritimas, cum propter immunitatem à Romanis conceſſam maiorem in modum excreuerant.* Quid? etiam ne abnuitas Mome? dabo fidei meæ cauſa grauiſſimos teſtes. Volfangum Lazium * inprimis, qui prouinciarum populi Romani ſpecies deſcribens, hæc habet. *Liberæ*

* actien. 3. lib. 2.

* lib. 3. cap. 8. edition. Dalecampij

* libr. 14. cap. 17.

* De republ. Rom. lib. 3. cap. 5.

Libera prouincia, quæ ſcilicet à tributis fuerant exemptæ, quales fuiſſe legimus Macedoniam & Illiricum maritimum ante conſtitutum Imperium, vt eſt autbor Liuius. Omnium primum liberos eſſe placebat Macedonas & Illiricos. vt omnibus gentibus appareret, arma populi Romani non liberis ſeruitutem, ſed ſeruientibus libertatem afferre. & vt in libertate gentes quæ eſſent, tutam ſibi eam perpetuamque ſub tutela eſſe; & quæ ſub Regibus viuerent, & in præſens tempus mitiores iuſtioreſque, reſpectu populi Romani habere ſe, &, ſi quando bellum cum populo Romano Regibus fuiſſet ſuis, exitum eius Romanis victoriam, ſibi libertatem allaturam crederent. Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationeſque ruſticorum prædiorum tolli placebat. nam neque ſine publicano exerceri poſſe, &, vbi publicanus eſſet, ibi ius publicum vanum, aut libertatem ſocijs nullam eſſe. Suum quoque calculum noſtræ ſuper hac re ſententiæ adijcit Philippus Cluuerius * in Germanicis antiquitatibus. vbi cum docuiſſet, Batauos, etiam ſi libertate quadam frui dicerentur, fuiſſe tamen ſub imperio populi Romani, ex verbis Taciti lib. 1. *Manet bonos, & antiquæ ſocietatis inſigne. nam nec publicanus atterit, exempti oneribus & collationibus, & tantum in vſus præliorum, velut tela armaque bellis reſeruantur*, ita ſubdit. *Atque huiuſmodi fuit ea libertas, quam prouinciarum ſuarum nonnullis populis concedere ſolebant Romani. ſic in eadem Gallia Belgica liberi recenſentur Plinio lib. 4. cap. 17. Neruij, Sueſſiones, Syluanenſes, Leuci.* Ab eadem quoque interpretatione ſtare videtur Goltzius in præfatione ad Faſtos & Triumphos ſuos. dum libertatem à T. Quinctio Flaminino Græciæ ex S. C. conceſſam hoc ſenſu recipit, quaſi ſolam immunitatem voluerit largiri, & vt ſuis legibus viuerent, ſub imperio populi Romani. Ex quibus manifeſto intelligere potes Mome, libertatem, quam Cicero his locis vſurpauit, haud quidem eam vim habuiſſe, quaſi quinque illa oppida populi Romani imperio minime tenerentur, ſed vt ſoluta ab oneribus tributiſque intelligerentur. neque vero id cuiquam nouum videri debet, cum ab prima V.C. origine Hetruriç ciuitates pacem ab Romanis impetraſſe ijs legibus, author ſit Halicarnaſſæus, * vt nulli oppido tributa aut præſidia imponerentur,

* lib. 1. cap. 39.

* lib.

ſuæ cuique leges redderentur, modo ciuitatum principatus penes Regem Romanum eſſet.. eadem quoque acceptione Italiam vniuerſim libertate donatam ab Romanis, pluribus locis Sigonius * ex Liuio docet. atqui ſi quiſpiam ob id neget, fuiſſe eam ſub Imperio populi Romani, neminem futurum crediderim cui opinionem hanc probare poſſit. Tandem ex lõgiuſcula hac diſputatione plane arbitror me confeciſſe id, quod initio promiſi, Mamertinos ſemper fœderatos præſtãtiſſimo fœderis genere, ſemper immunes, & meliori etiam quã reliqui Siciliȩ populi iure & conditione ȩſtimatos fuiſſe.

* De iure Ital. lib. 1. cap 9. & de iure prouin. lib. 1. c.

¶ Deſieram ego hic. Dicarchus vero. Expecto, inquit, quid ad hæc Momus noſter. commotiorem enim video & rubore aliquo ſuffuſum. At ille veluti ex induſtria faſtidiens. Obſoleta iam, inquit, & præ vetuſtate demortua narras Geni. & ipſa Iouis diphtera antiquiora. nam cum de conferenda vrbium dignitate res eſt, haud quidem prima tempora & ab priſtina ciuitatum origine repetita conſideranda ſunt, ſed ea quæ nunc eminent, florent, vigent. hæc & Dijs ipſis placent, hæc mortalium oculos capiunt. noſti id quod apud Ouidium Ianus monet.

Littar. pag. 20. & 32.

Laudamus veteres, ſed noſtris vtimur annis.

Id vero quam iure dicas Mome, inquam, alij iudicent. quibus curarum minus, plus otij eſt, longiorem enim diſputationem habent. ſed me neque cogitantem longe nimis à propoſita re abduxere ciuitatum iura ac differentiæ, quæ apud eius æui mores fuere. in quibus ſi quid eſt, quod aures tuas offendat Mome, boni conſulas velim. nam in hoc diſputandi genere pleraque huiuſmodi ſunt, vt ſine reipublicæ detrimento vnicuique ſecus opinari, aut etiam libere diſſentire liceat. Oportune gradum ſiſtis Geni, inquit tum Momus. & latiſſime euagatos haud ſcio, quis nos Deus eo reuocabit, vnde primum digredi cæpit oratio. ſed iam me rerum Romanarum ſatietas tenet. credo eadem laborabant aduocati mei cum tam frigide inepteque de ijs rebus ſcripſere. Si placet igitur, Græculos perſequamur. video enim locupletiſſimos ab his quoque eſſe Mamertinos tuos. Et iure quidem, inquam, Mome. præſentiſſimo enim periculo ſuis obiectis corporibus Arcadium Imper. eripuere. noſti tritum illud

Quod bonis bene ſit beneficiũ, gratia ea grauida eſt bonis.

De-

De hac vero re cras tibi credam, hodie vero nihil, inquit Momus. Interim vero bullatum hoc Arcadij diploma, bullatas nugas rectius aliquis appellauerit, quam multis vitijs laboret animaduerte.

Corſet. pag.

¶ Neque ego hic Geni te vulgaribus aut de triuio petitis argumentis impetam, ſed ſolidis conficientibuſque, & quæ ex imo narrationem conuellant. & ſi enim in hiſtoriam hanc pleraque infarcta ſint, quæ fabulæ potius quam veri ſpeciem habeant, non tamen cum vulgo ſenſerim, hæc per ſe ſola tanti eſſe, vt fidem omnem ei abrogem. quippe qui vſu ipſo longaque Scriptorum obſeruatione didicerim, in magnas quoque ac veras hiſtorias fabulas irrepſiſſe, ſeu interpretum culpa, qui paraphraſtice interdum res geſtas perſequuntur, ſeu hominum more, qui ad res pulcherrime geſtas eo animorum affectu ferimur, vt quaſi pudeat ſimplicem veramque narrationem afferre, iniuriamque facere videamur, ni non noſtri aliquid liberaliter addiderimus. quod, præterquam quod alibi * Baronius vniuerſim animaduertit, ſigillatim tamen pluribus docet, cum de actis Theclæ, * Abercij, * Pontij * & de epiſtola Fabiani loquitur. Sed, vti dicebam, non ego minutiora iſtiuſmodi perſequar. Primum igitur in fronte ipſa faſtuoſiſſimum titulum leges. *Arcadius ſanctæ brachio Trinitatis in orbe Monarcha.* qui qua ratione Arcadio conuenire poſſit, non video. qui ſciam Honorio altero fratre Occidentis imperium tenente, Arcadio non niſi Orientale obtigiſſe. adeoque parum iure ſe Orbis Romani monarcham inſcribere potuiſſe. Hic ego. Facile, inquam, ad triarios tuæ redibunt res, ſi eiuſmodi fuerint tuæ oppugnationis principia. Illud enim quam leue ſit, ex pluribus colligere potes. Primum quia non modo verboſam ſuis in laudibus Græciam, ſed & Romanam ſimplicitatem eiuſmodi appellationem in ſuos Principes traduxiſſe animaduertes. nam & Antoninus Imper. orbis ſe vniuerſi dominum alicubi * inſcribit. Conſtantinum quoque Auguſtum & dicēdo & ſcribendo orbis totius dominum ſe dixiſſe, ex Marcellino Pomponius Lætus * & Guido Pancirolus * authores ſunt. Iuſtiniani Imperat. ſtatua in palatio poſita an non orbem manu geſtabat, vt ea re ſignificaret, eum orbis vniuerſi dominum eſſe? Ad hæc quis non videt, hi-

** anno 353 nu. 84.*
** anno 47. nu. 3.*
** anno 163 nu. 14.*
** anno 238 nu. 9.*
** anno 246 nu. 9.*

** l. deprecatio ff. ad l. Rhodiam.*
** in compendio hiſtor. R. in Gallo.*
** in Theſauro var. lect. cap. 2.*

perbolicam eſſe eam locutionem, ad imperij latitudinem explicandam, vt & hiperbolim putat Alciatus * id, quod de Antonino paulo ante dicebam. alioqui enim bona orbis vniuerſi pars Romanum imperium ne de nomine quidem agnoſcebat. demum pro me reſpondeant licet hi, quibus nuper Siculam, quam appellant, monarchiam ab Baronij Cardinalis oppugnationibus tueri curæ fuit. certe ſi argumentum hoc vim vllam habet, multo plus ſatis ſpecioſo hoc Monarchæ titulo Regi noſtro eſſet abſtinendum. cum Sicilia tota ne quadrageſimam quidem partem æquet Orientalis imperij, quale olim florente republica fuit. atqui conſtat, * non modo Philippos Hiſpaniarum Reges maximos, ſed & vnius ſolitariæque Siciliæ principes hoc Monarchæ nomine appellari ſolitos. ſtat enim aliquem vnius ſolummodo prouinciæ Regem eſſe, & Monarcham dici. quippe non aliam vox iſta acceptionem habet, quam vt oſtendat aliquem eſſe prouinciæ dominum ſolum, &, vt Iuriſconſulti loquuntur, ſupremum. Præclare & aptiſſime id quidem, inquit Momus. illud tamen qui effugere poſſis, non video. nam diploma hoc anno ſeptimo ſupra quadringenteſimum datum ſcribitur. atque adeo duodecimo poſt anno, quam reiectis fugatiſque tuorum ope hoſtibus, Arcadius in regnum reſtitutus eſt. quod anno tricenteſimo nonageſimo & quinto, qui primus fuit à Theodoſij obitu ſcriptores veſtri tribuunt. Id vero, inquam, Mome quam falſi ſuſpitionem ingerere poſſit, non intelligo. niſi forte vniuerſim ſtatuere placeat, diplomata omnia, reſcripta, chirographa, aliaque eius generis principum beneficia mendacij ſuſpecta eſſe cenſenda, ſi non eodem die tradita atque conceſſa ſint, tabulæque de ijs rebus conſcriptæ, quo geſta res eſt, quæ cauſam beneficio præbuit, & principem impulit, vt liberalitatis aliquo exemplo optime de ſe meritos homines proſequeretur. quod quam abſurdum ſit, nemo non videt. Quid, quod receptum vbique eſt, non modo eos ipſos, quorum conſilio aut virtute vſi ſimus poſt temporum interualla, vti ſe occaſio offert, beneficio afficere, ſed illorum quoque liberos ex maiorum meritis * ornare? Næ ſi tuis iſtis Mome conſiliarijs parendum ſit, abijcienda penitus ex animo benefactorum memoria eſt, damnandaque conſuetudo, quam optimos antiquioris æui Principes

cipes

* *lib. 4 de verbor. ſignif.*

* *Borell. de præſtant. Regis Cathol. par. 1. c. 28.*

* *Tiraquel. ad l. ſi vnquam verbo donatione largitus.*

cipes obſeruaſſe legimus, commentarijs, diarijſque excipiendi ſubditorum officia, quæ ſtrenue fortiterque in rempublicam contuliſſent, vt quibus rebus bene geſtis referri ſtatim gratia minime potuiſſet, quamprimum commode id fieri poſſet, meritis præmijs afficerentur. quare inter aulæ Conſtantinopolitanæ Palatinos præcipuum eum fuiſſe accepimus, cui à memoria nomen erat. cuius munus eos deſcribere, qui ſtrenue ſe in bello geſſiſſent, quo primo quoque tempore conuenientes honores acciperent. functio ſane, vt quidam * ait, optime inſtituta, male exercita, peſſime in præſentiarum abolita, vt ne nomen quidem nunc ſuperſit. Adde id, quod veriſimilius cenſeo, Arcadium Imperat. Mamertinos hiſce ornamentis ipſo rerum feliciter geſtarum tempore honeſtaſſe; eadem vero vt teſtatiora poſteritati forent, duodecimo poſt anno litteris tabuliſque eſſe conſignata. Simile quippiam apud Ciceron. * lego de fœdere cum Latinis inito. *Cum Latinis omnibus foedus ictum Sp.Caſſio, Poſthumio Cominio quis ignorat? quod quidem nuper in columna aerea meminimus inciſum & perſcriptum fuiſſe.* quibus verbis ſignificat, fœdus cum Latinis contractum iam inde ab anno ducenteſimo & ſexageſimo, Ciceronis æuo, aut etiam ſuperiori publicis monumentis exceptum eſſe. Idem de Cõſtantino Magno iudicium eſt Auguſtini Steuchi, * eum quamuis ſub ipſum fere tempus, quo Chriſtianis miſterijs initiatus eſt, munificentiſſimis donis Romanam eccleſiam proſecutus eſſet, non niſi longo poſt tempore iuſſiſſe, vt ea publicis tabulis deſcriberentur.

* *Nadabus Agmonius in notis ad Curopal.*

* *pro Corn. Balbo.*

* *de donat. Conſtant. nu. 41.*

¶ Habeant ſe ſane hæc, inquit Momus, vti cenſes, at qua ratione Bulgaros ab Arcadio deſciuiſſe aſſequeris, Geni, cum Sigonius Theodoricum Gothorum Regem anno CCCCXC. Bulgaros magna clade affeciſſe ſcribat, gentem, vt ipſe ait, nouam & è Scythia paulo ante profectam? ſed neque vno mendacio contenti eſtis. nam & illud quoque confingitis, Arcadium hoſtium inſidijs petitum, ſuppetias à Siculis non petiſſe, quod eos ab Agarenis infeſtari ſciret. at quis adeo rudis in Sicula hiſtoria, vt Agarenos ſexcenteſimo & ſexageſimo nono anno Deodato I. Romano Pontifice Siciliam ingreſſos neſciat, vel, ſi Baroniũ ſequi malumus, anno quinquageſimo & ſeptimo ſupra ſexcenteſimum, atque adeo tertio

Littar. pag. 50. & 51. Corſett. pagin. 76.

tio fere poſt Arcadium ſæculo? Aduerſum hæc ego. Quid vero Mome. cenſes ne ſerio, inquam, Sigonij verba, quæ mox proferebas, neceſſario ita intelligenda, quaſi paucis quibuſdam vel hebdomadis vel menſibus ante annum CCCCXC. Bulgari è Scythia primum mouerint? ac ſi non ea verborum phraſi centeni & eo amplius anni ſubaudiri poſſint? clariſſime id ſcilicet ex iiſdem Alberto Crantio & Flauio Blondo, qui à Littara teſtes laudantur, vt ſuis ipſius armis plagoſum hunc orbilium conficiam, colligere licet. ſane Crantius * de Bulgaris loquens hæc ait. *Tenebat Orientis imperium Conſtantinus Conſtantij filius, & in Romano Pontificatu Adeodatus circa annum DCXI. cum Bulgari noua gens Thraciam inuadunt*. Blondus vero res geſtas ſeptimi ſæculi deſcribens. *Agathone Siculo Pontifice*, inquit, *& decimo Conſtantini anno præter Bulgaros Danubij accolas, noua eius gentis examina, quæ Scythiæ finibus tum primum egreſſa conſtiterunt in Romanis prouincijs &c.* quibus ex locis intelligere potes, hos ipſos Bulgaros, ſicuti Crantio & Blondo gens noua & tum primum è Scythia profecta appellantur, cum tamen antiquior eorum memoria Sigonio iam inde ab anno CCCCXC. repetatur, ita & hac ipſa tempeſtate, quam Sigonius notat, nouam gentem dici potuiſſe, ita tamen, vt prima eius gentis è Scythia migratio in Theodoſij & Arcadij vel etiam ſuperiora tempora inciderit. ſimile eſt, quod ad Tacitum Lipſius * obſeruat. qui cum Germaniam, recens vocabulum & nuper auditum ſcripſiſſet, *quod ait nuper*, ſubdit Lipſius, *non hercules ita nuper, quippe cum ab æuo Iulij Cæſaris* (centum circiter & quinquaginta ante Tacitum annis) *quo conſtat Germanos Gallias irrupiſſe*. Quod autem de Agarenis ſubieciſti, non me adeo torquet. fac enim Sarracenos ea tempeſtate, quam tu ipſe dicis, Siciliam ingreſſos, an ne eo fit, non potuiſſe ante excurſiones in Siciliam facere? præſertim quia circa annum CCCCX. Palhæſtinam, Aegiptum, & Africam percurriſſe eos Baronius * ſcribit; cur non igitur & Siciliam conterminam fere Africæ prouinciam infeſtari potuiſſe dixerimus? quid, quod D. Auguſtinus, * Italiam per ea tempora à barbaris miſere vexatam, ijs verbis ſcribit. *Quæ modo in regionibus Italiæ, quæ in Gallijs nefarie perpetrata ſunt, etiam vos latere non arbitror.*

Litt. pag. 79

* *in Vandalicis libr. 6. cap. 2.*

* *in notis ad Tacit. de morib. German.*

* *in annal. anno 410.*

* *epiſt. 122. ad Victorin.*

arbitror. quo loco illum de Sarracenis locutum ex Hieronimo Baronius probat. Nam quod Littara * tam multis teſtimonijs contendit, Africam id temporis Chriſtianam fidem coluiſſe, facile largior. patior etiam, vt pacatiſſima tum fuerit. quippe nondum à Vandalis aut Sarracenis occupata. at non inde recte quis inferat, non potuiſſe Agarenos crebris incurſionibus Siciliam vexare. neque enim ego Agarenos iſtos, qui per ea tempora piraticam exercebant, Africanos fuiſſe dixerim. qui ſciam eos ex Aegipto primum in Siciliam claſſe traieciſſe, poſt vero interiecto plurium annorum ſpatio ex eodem Aegipto in finitimas Cyrenes, Numidiæ, Lybiæ, & Mauritaniæ prouincias irrepſiſſe. Atqui ex noſtratibus neminem Mome reperies, qui Agarenos, de quibus in præſentiarum agitur, ex terra Africa eas in Siculos excurſiones feciſſe dixerit. Quid quod & Gothi ipſi, qui hac fere tempeſtate in Italiam irruperant, non infrequenter Sarracenos ſeu Agarenos à Græcis appellatos leges, id quod in SS. Martirum Placidi & ſociorum actis Baronius * animaduertit?

* *pag* 51.

* *anno* 439

¶ Nempe, inquit hic Momus, ex voto tibi iſta ſuccedunt. illud vereor ne non eadem felicitate conſequare. Quid tandem id, inquam, eſt. & ille. Notiſſimum, inquit, eſt diuiſo per Theodoſium inter filios imperio, Occidentales prouincias & in ijs Siciliam Honorio, Orientales Arcadio obueniſſe. hinc ſub Occidentali imperio comprehenſam notitia orbis Romani docet, quæ ſub diſpoſitione Viri ſpectabilis Vicarij vrbis Romæ Siciliam inter conſulares prouincias numerat. quod ſi aliquando C. P. Imperatori paruiſſe eam legimus, id non prius quam Iuſtinianus rerum potiretur. qui Beliſario Duce Gothis ereptã reipublicæ reſtituit. fit adeo, non videri veriſimilem hiſtoriam hanc, quæ Arcadium ab non ſuæ ditionis hominibus ſuppetias imploraſſe, fingit. Sed neque ego à Momi coniectura abhorreo, inquit hic Criticus. quis enim credat tantum Imperatorem, nulla ſpe fretum, ſed alienæ & incognitæ fidei populos confugiſſe? Id plane fateor, inquam ego, Arcadium & Honorium prouinciarum adminiſtrationem diuiſam inter ſe habuiſſe. ſi vero negem commune atque indiuiſum in toto orbe Romano tenuiſſe imperium vel amens vel ſtupidus fuerim. Nempe id exploҫ

Corſet. pag. 77.

rate

* lib. 7. c. 24 * de temp. & reg ſucc. * volum. 6. generat. 14.

rate dilucideque Oroſius, * Paulus Diaconus, Iornandes * * Nauclerus * docent. quorum primus. *Anno*, inquit, *MCXLVIIII. ab V.C. Arcadius Auguſtus, cuius nunc Theodoſius filius Orientem regit, & Honorius frater, cui nunc reſpublica innititur, quadrageſimo ſecundo loco commune imperium, diuiſis tamen ſedibus tenere cœperunt*. Eo Claudianus * reſpexit.

* in Ruffinum 2.

Quid diuidis olim
Concordes aquilas, non diſſociabile corpus,
Coniunctumque ſumus.

& alibi idem Claudianus.

Conſpirant gemini frænis communibus orbes,

* ad relat. 1 * cap. 9.

& Clauerius in notis * ad Simmachi relationes. *Hinc patet*, inquit, *orbis terrarum ſub geminis Principibus vnitum & laudabile regimen*. & in Miſcellis. * *Quæ ni fallor*, ait, *vtcumque explicat Honorij lex in hæc verba. Hoſtis publicus ſtilicho nouum atque inſolitum repererat, vt littora & portus crebris vallaret excubijs, ne cuiquam ex Oriente ad hanc partem imperij pateret acceſſus ex quibus collige vnicum fuiſſe imperium concordiæ vinculo id agente*. Quid igitur mirandum Arcadium ſuis deſtitutum auxilijs, ad remotiores prouincias, quæ ſub communi imperio eſſent, animum adieciſſe? an vero non legimus apud Baronium, * in his ipſis Arcadij preſſuris Honorij duces exercituſque mutuam opem fratri nauaſſe? Non itaque eſt quod negem, Siciliam Honorio id temporis paruiſſe. id enim, & ſi aduerſarij argumentum non conficiat, cum noticia illa orbis Romani, quam Corſettus in teſtimonium profert, multis poſt Arcadium annis conſcripta ſit, vt Pancirolus * docet, exploratiſſimum mihi eſt, qui ſciam, iam inde à prima orbis Romani diuiſione per Traianum & Hadrianum facta, Siciliam inter Conſulares Italiæ regiones adnumeratam, idemque ius ſub Conſtantino tenuiſſe. inſuper etiam, cum Conſulares Venetiæ, Iſtriæ, Aemiliæ, Liguriæ, Flaminiæ & Piceni eſſent ſub Vicario Italiæ, Siciliæ Conſularem, vti & Thuſciæ, Vmbriæ, Piceni ſuburbicani, & Campaniæ ſub Vicario Vrbis Romæ cēſeri ſolitum. id ſolū aſſero, minime abſurdum eſſe exiſtimandum, cum commune inter fratres eſſet orbis imperium, mutuas inuicem ſubditorum operas auxiliaque ſenſiſſe.

* anno 395 * in præfat. nu. 41.

¶ Hic

¶ Hic Momus. Nam vt conijcere videor, inquit, hiſtoriam hanc omnino recipiendam cenſes Geni. Quid ni ita cenſeam, inquam. plura enim, quare ita ſentiam, me impellunt. Primum quia licet nullos habeamus eius æui Scriptores, qui eam poſteritati commendauerint, iam ſatis, vt puto, ſupra oſtenſum, non omnino firmum ac ſolidum duci argumentum ab Scriptorum ſilentio in hiſtoricis tractationibus. imo plus ſæpe contingere, vt pleræque res & maxime illuſtres Hiſtoricos fere eorumdem temporum omnes prætererint, vt vix earum ſcintilla aliqua vbi vbi ſupereſſe videatur. Sic Baronius * notat, plures victorias diuina ope partas Magni Conſtantini ætate, quarum, extra quam in Iulio Materno Mediolanenſi Epiſcopo, nulla ſit apud authores memoria. Sic Hunnici belli, quod ab Anthemio Duce aduerſus Hormidacem ad Sardicam in Dacia non longe ab his temporibus, de quibus in præſentia agimus, geſtum eſt, monumenta omnia interiere, neque eius rei veſtigium appareret vſpiam, niſi apud Sigonium in Panegirico Anthemij lux aliqua eſſet, vt Sirmondus * in notis docet, ſed neque item in tanta illius ætatis Scriptorum paucitate mentio vlla transfugij ſocij illius Anthemij qui ad Hunnos in ipſa pugna defecit. quin potius certiſſima ſpe ducor, fore, vt cum doctiſſimum iſtud ſæculum, quo viuimus, plures ac ſane plures veterum Scriptorum libros maioribus noſtris cognitos, pleroſque etiam ignotos in dies prodat, aliquando tandem aliquem è pluteis & puluere emerſurum, qui huius hiſtoriæ fidem ab obtrectatorum inuidia calumniaque pleniſſime vindicet. Deinde illud addo, Hiſtoricos, qui Arcadij & Honorij res geſtas litteris tradidere, neutiquam omnes omnino res eſſe aſſecutos. multa etiam prætеrijſſe. quod Baronius * hoc eodem anno CCCVC. in quem res hæ noſtræ inciderunt, prudenter animaduertit, prorſus vt pro ijs ab iniuria aſſerendis in eam faciem diſſerere videatur. *At licet*, inquit, *tot Hiſtoricis hac ætas abundaſſe videatur, tamen adhuc inops harum facultatum remanſit & obſcura*; *quod ex his alij res multas breuitate nimia contraxerunt, alij intactas penitus reliquerunt, deſideratur autem in alijs ordo, in alijs temporum exactior indagatio.* Ad hæc ſatis eſſe deberet grauiſſimorum hominum authoritas Alani Copi, *

* *anno* 338

* *In notis verſu* 236. *& verſu* 282.

* *anno* 395

* *in dial.*

** de cruce lib 2 c. 51. * de republ. lib. 12 c. 16. * de dignit. Regum Hiſpan. cap. 15 nu. 21.*

Iacobi Gretſeri, * Petri Gregorij Toloſatis, * & Iacobi Valdiuieſſo, * qui Arcadianam iſtam hiſtoriam ſuis calculis comprobant, quibus & ex veteribus adiungendus Maurgerins, qui ante ducentos annos hiſtoriolam hanc ex Græco Latinam reddidit, &, vti audio, M. S. codicem habet Bibliotheca Principis Melitellani. nec præteribo nobilem Medicum Ioannem Iacobum Hadriam Hiſtoricum etiam minime pœnitendum, qui centum ab hinc annis floruit. is in Sicula ſua hiſtoria nondum edita non vno in loco meminit de Meſſanenſium in Arcadium Imperatorem officijs, ac viciſſim de irrogatis ab eo priuilegijs. vt pudere eos debeat, qui ſcribere auſi ſunt, Conſtantinum Laſcarim omnium primum hiſtoriam in vulgus extruſiſſe. Quid, an non huc quoque Falcandi verba referenda? qui vnus omnium maxime ſuſpicioni omnilibet, & antiquitatis prærogatiua, & quod nullas in Mamertinos amoris cauſas habuerit, in Panhormitanos vero non vulgariter propendere ſe ſummis eorum beneficijs illigatum ingenue præſeferat. Is cum praſagiens veluti futura, quæ impendebant, Siciliæ mala ex Conſtantiæ cum Henrico Sueuo nuptijs, ita Meſſanam alloquitur. *Age nunc Meſſana potens & multa ciuium nobilitate præpollens, quo putas incolumitati tuæ proſpiciendum eſſe conſilio? vt poſſis barbarorum primos conatus elidere, & hoſtiles copias à Phari tranſitu probibere. expedit tibi mature deliberare quid agas. nam quia tranſeuntibus prima poſt traiectum ratibus Pharum occurris, primos etiam pugnantium impetus ſuſtinere, primaque bellorum auſpicia cogeris experiri. Certe ſi ciuium tuorum virtutem & audaciam, ſi ſenes tuos maturandis aptos conſilijs, iuuenes rebus bellicis aſſuetos, murorum etiam ambitum denſis turribus circumſeptum inſpicias, ſi vires tuas, quibus ſæpe Græcorum ſuperbiam contriuiſti, quibus Africam, Hiſpaniamque depopulans, ingentem inde prædam & opima ſæpe ſpolia reuexiſti, diligenter attendas, multum hinc tibi roboris & fiduciæ, multum ſpei ac ſecuritatis accreſcet.* Quibus ex verbis tum illud colligo, plura alia illuſtria ad famam facinora nauali re Mamertinos ſiue in Africa ſiue in Hiſpania edidiſſe, quæ cum Falcandi æuo bene nota vulgo eſſent, monumentis hiſtoricis, publicisue actis deperditis ſecuta po-

ſteritas

.ſteritas ignorauerit, tum etiam deprehendere mihi videor huius, quam quærimus, Arcadianę hiſtoriæ non leuiter preſſa veſtigia. neque enim intelligo quorſum illa tendant, *Quibus ſæpe Græcorum ſuperbiam contriuiſti*, ſi non ad expeditionem hanc alludunt. alioqui enim numquam hactenus apud ſcriptores legi, præter vnum hoc, negotium vllum bellicum Mamertinis cum Græcis aut in Græcia fuiſſe. nec veroſimile eſt, Falcandum aduerſæ factionis hominem adeo indulgentem in Mamertinos, vt vel non veras in eos laudes ingerere auſus ſit. Quid tandem, quod pene omnes Siciliæ Reges Arcadij diploma expreſſis iuratiſque verbis ſanctum & ratum habuere? an putas Mome, tot Regibus, Principibus, doctis viris os ſubliniri à noſtris potuiſſe?

¶ Pro hiſtoria vero non leuem coniecturam facit, quod Ruffinus, quem ſcriptores paſſim à Theodoſio tutorem teſtamento datum produnt (quamuis id Ariſtarchico ſupercilio Littara * tuus multo vocis ac laterum niſu exagitet, & curatorem vbique legendum clamet, quod munus iſtud ætati, quam tum Arcadius agebat, aptius videatur, Baronius vero neque tutorem neque curatorem fuiſſe multis doceat) anno CCCVC., quo noſtrorum opera Arcadius ex hoſtibus ſeruatus eſt, rempublicam miris artibus fraudibuſque euertere conatus eſt, vt Zoſimus * ſcribit. nam ob eam ipſam cauſam prouinciarum rectores eos inſtituit, qui ſecum in eam rem ſecretis pactionibus conſpirauerant, interque hos Antiochum Græciæ Proconſulem fecit, Geroncio Thermopilarum anguſtias credidit, eo conſilio, vt venientibus ex aduerſo barbarorum copijs vterque ex condicto cederet. Gothos etiam & eorum ducem Alarichum ſpe præmijſque inuitauit. Hunnos ſollicitauit. Iam vero Thraciam omnem ab eodem Ruffino miſere vexatam ex Claudiano * docemur,

* pag. 73.

* lib. 5.

* lib. 1. in Ruffin.

Geticis Europa cateruis
Ludibrio, prædaque datur, frondentis ad vſque
Aemathiæ fines. omnis qua mobile Ponti
Aequor & Adriacas tellus interiacet vndas
Squalet inops pecudum, nullis habitata colonis.

Ipſam etiam Conſtantinopolim oppugnatam obſeſſamque idem Poeta ſcribit.

R 2 *Vrbs*

Vrbs etiam magnæ, quæ dicitur æmula Romæ,
Et Calcedonias contra deſpectat arenas,
Iam non finitimo Martis terrore mouetur,
Sed propius lucere faces & rauca ſonare
Cornua, vibratiſque peti faſtigia telis
Aſpicit. hi vigili muros ſtatione tenere.
Hi iunctis properant portus munire carinis.
Obſeſſa tamen ille ferus lætatur in vrbe,
Exultatque malis.

qui poſtremi verſus haud dubie Ruffinum deſignant. Quin & Theſſalonicam etiam obſeſſam Claudianus ſubinnuit.

Theſſalus ardet ager, reticet paſtore fugato
Pelion Æmathias ignis populatur ariſtas.

Tandem Bulgaros, quos Claudianus Scytharum nomine intelligit, quod eos è Scythia primum, quæ nunc Tartaria dicitur, migraſſe ſciret, * à Ruffino in Arcadium commotos docet.

Iam gentes, Iſtrumque mouet, Scythiamque receptat
Hoſpitio, traditque ſuas hoſtilibus armis
Reliquias, miſtis deſcendit Sarmata Terris.

Quibus & illud accedat, quod Iornandes * de Ruffini obitu hæc memoriæ prodidit. *Tum Ruffinus patritius Arcadio inſidias tendens Alaricbum Gothorum Regem, vt Græcias deuaſtaret, miſſis clam pecunijs inuitauit. porro detectus Ruffinus ab Italis militibus occiſus, & Arcadio cum Gaina Comite miſſus, ante portas vrbis detruncatus eſt.* Idem alijs verbis habet Pomponius Lætus. quibus in locis, ſi Italorum nomine noſtrates ſignificari contendam, haud putarim aberrare, ſecutus præſertim ea, quæ ſupra dixi Siciliam inter Italiæ prouincias adnumeratam, & Vlpiani * ſententiam, qui Siculos, quod modico freto ab Italia diuidantur, inter Italiæ populos cenſendos ſcribit.

* *Gaguin in deſcrip. Sarmat. Europ. tit. Sarmatarum diuiſio 11. Volaterr. lib. 23. Greg. lib. 2.*

* *de tempor. & regum ſucceſſ.*

* *in l. notionem ff. de verbor ſign.*

¶ Non teneo me vltra, inquit, hoc loco Momus. num puluerem mihi ob oculos ſpargis? ita concinnas neſcio quid perplexi, obſcuri, & quod, peream, ni Cimmerijs ipſis tenebris tenebricoſius eſt. quid enim, obſecro, Ruffino cum Aſſiriele, quid cum Catillo commune? quos eius defectionis principes Scriptores tui faciunt. certe, niſi Proteus aliquis is fuit, non video, qua ratione tam diuerſa nomina ille tulerit.

ſerit. Neque dum me habes Mome, inquam ego. cenſeo enim totam eam rem, & in Arcadium coniurationem Ruffinum commouiſſe, quem noſtri Conſtantij nomine intelligunt, quod binomius fuerit. Catillum vero & Aſſirielem Ducum nomina fuiſſe, earum ſcilicet gentium, quæ cum Ruffino ſocietatem contraxerant, quod his quæ ex Iornande & Claudiano proferebam, & Arcadiano diplomate enarrantur, mire concinit. ait enim Arcadius, proditorem illum Conſtantinopolim, Thraciam fere omnem, aliaſque prouincias ſeditionibus armiſque commouiſſe. tum Conſtantinopoli ſe toto illo tempore continuiſſe, indeque gerendarum rerum ordinem cum barbaris eſſe conſtitutum. ſe vero Theſſalonicæ ab hoſtibus obſeſſum, non niſi Meſſanenſium virtute eſſe obſidione liberatum. eorundem quoque opera regiam vrbem recepiſſe, & reipublicæ proditores. ſupra vero ex Claudiano docui, Thraciam, Græciam, Dalmatiam externis armis Ruffini conſilio occupatas. Conſtantinopolim, Theſſalonicam obſeſſas, Ruffinum interim Conſtantinopoli ſe tenuiſſe, & veluti quadam ex arce rem omnem promouiſſe, tandem etiam ab Italis circumuentum ad Arcadium adductum ac mox interfectum fuiſſe. Quod autem hæc in annum CCCVC. Scriptores noſtri coniecerint, cum diploma ipſum anno CCCCVII. ſit datum, nihil miraberis. ſi illud inſpicies, tabulas has, quas habemus, aliquibus poſt rem geſtam annis conſcriptas. præterquam quod cum diploma annum ab orbe condito MMMMMDCII. præſeferat, atque adeo cum Græci Imperatores annorum ordinem ab condito primum orbe terrarum numerare conſueuerint, difficillimum hic eſſet, viam vllam inire, quæ veterem iſtam ſcribendi ac ſignandi anni rationem ad Chriſti nati Epocam reuocet. cum creati orbis initia ampliſſimam quæſtionum ſegetem Chronographis præbuerint, adeo diuerſæ & plane contrariæ ſunt de ea re Scriptorum ſententiæ. Ac proinde æque nihili cenſendum iudicium illius eſt, qui diploma Arcadianum è Græco vertens, tantum ſibi de re Chronographica arrogauit, vt cornicum oculos configere ſibi viſus ſit, ſi Grecanicum annum quinquies milleſimum ſexcenteſimum ſecundum, Latine ſeptimum & quadringenteſimum redderet, atque irridendus Littaræ conatus, qui multa verborum

farragine

farragine hoc vnum perſuadere nititur, anno CCCCVI. Arcadium rerum eccleſiaſticarum cura, componendiſque inter præſules diſſidijs occupatum, non potuiſſe bello vel armis vacare. quaſi fateri omnino cogamur, annum illum Græcanicum eundem eſſe, qui Latinis eſt quadringenteſimus ſeptimus. Huc etiam accedit, quod Baronius anno DCX. animaduertendum cenſuit, ſupputationem annorum Domini à Græcis vſurpatam annis octo ab ea differre, quam Latini ſequimur, ſed neque etiam Græcis ipſis vnam eandemque eſſe calculi rationem, ſed variam & inconſtantem. Nobiſcum etiam facere Fazellus videtur, qui hiſtoriam hanc in annum V. C. MCXLVIIII. reijcit, qui idem primus Arcadij eſt, & CCCVC. poſt Chriſtum natum Baronio, vel, vt Contio placet, CCCLXXXXVI. Crantius quoque à nobis eſt, dum à Ruffini morte treſdecim annos Arcadio reliquos facit, quem conſtat anno CCCCVII. deceſſiſſe.

Littar. pag. 68. ¶ Fazellum, inquit ſubiratus Momus, imperitiſſimum illum hominem laudas. qui porrò, ſi ſuperſtes eſſet, non impune abiret. Arcadium ſcilicet adoleſcentem vocat, qui quadringenteſimo & ſexto anno poſt Chriſti Natiuitatē, viginti & quinque annis maior natu erat. adeoque iuuenis dicendus quam adoleſcens. quam vocem ex maiorum inſtituto in ijs tantum vſurpamus, qui primum & viceſimum vix dum attigere. Adde, quod ea appellatione non minimum Imperatoriæ maieſtatis decus offenditur. Regem enim vel Imperatorem licet natu minorem, ſi puerum vel adoleſcentem dixeris, plurimum de eius dignitate detraxeris. neque alio reſpexiſſe Virgilius credendus eſt, cum de Auguſto loquens, quem adoleſcentem vidiſſe ſe innuere volebat, honeſtiori vocabulo iuuenem appellauit.

Hic illum vidi iuuenem Meliboee quotannis.

Obſtupui ego hic, &, Maxime admiror Mome, inquam, te in has Grammaticorum quiſquilias in re ſeria illapſum. quamquam & illud ſentio Littaræ tui verbis te loqui, de quo non incongrue illud dici poſſet, quod appoſitiſſimo apologo Lucianus * narrat, Simias Aegiptij cuiuſdam Regis inſano ſtudio ſaltandi rationem edoctas, inſigni purpura perſonatas, bellulas pupas redditas, tamdiu gratiſſimum Regi ſpectaculum præbuiſſe, quouſque faceto quopiam è ſpectato-

* in oratione contra ineruditum

ſpectatoribus nuces in medium proijciente, Simiæ choreārum oblitæ id eſſe cæperunt, quod antea fuerant, ac repentè è ſaltatricibus in Simias rediere, exutiſque perſonis laceratis veſtibus pro nucibus inter ſe non ſine multo ſpectantium riſu acerrime depugnarunt. eiuſdem ego ingenij Littaram cenſuerim, qui & ſi quandoque Hiſtorici, quandoque etiam Poetæ, &, ſi Dijs placet, Theologi perſonam in ſcæna agat, numquam tamen ita propoſiti aut dignitatis ac decori tenax eſt, quin in Grammaticorum nugas ineptiaſque de repente proſiliat. At eſto Fazello de hac ipſa re dicam apud Ariſtarchos ſcripſeris, putas ne, cauſam obtinebis Mome? Minime vnquam gentium. primum quia adoleſcentia ad trigeſimum vſque annum excurrit Cenſorino & Varroni, & Marcellus * I. C. id nomen etiam pro maiori viginti & quinque annis vſurpauit. deinde quis adeo rudis aut imperitus eſt policiorum litterarum, qui iuuentutem cum adoleſcentia ſæpiſſime confundi ignoret? Tandem anno CCCVC., in quem cum Fazello hiſtoriam hanc reieci, Arcadius vix pubertatem erat egreſſus, quod ex eius obitu deprehendes, qui in annum CCCCVII. incurrit, cum primum ac trigeſimum ætatis annum vix dum attigiſſet. ſed plus nimio ineptus ego, qui Fazelli lites meas faciam. præſtat itaque reliqua perſequi, ſi quæ ſunt, quæ Arcadiano diplomati negotium facere poſſe putas.

** in l. notionem ff. de minorib. Coraſ. in l. precib. C. de imp. ſubſt. n. 2. Montan. de tutelis c. 5. nu. 128.*

¶ Tam multa, inquit ille, ea ſunt, vt vix ordine referre poſſim. ſuſpicionem magnam illud ingerit, quod Arcades, cum nimio ſatis remoti à mari ſint, ineptiſſimi ad maritimas res veterum opinione exiſtimati ſunt, quod Homerus & Apollonius ſcripſere. quam iure igitur ijs naues tribui poſſint, maritimæque concertationes iam plane vides. Tum ego. Inepte facis Mome, qui ab Homeri ſæculo teſtimonia in rem pene præſentem petis. alioqui vel Nannacum teſtem eius rei citare potuiſſes. Atqui debueras in Suida * legiſſe, Arcades ita armis inclaruiſſe, vt prouerbio locum fecerint, Arcadum imitatores, quod de ijs dicitur, qui alijs laborent. nam Arcades, cum bellicoſiſſimi Græcorum eſſent, priuatim quidem vicerunt neminem, aliorum vero ſocij multos. inde Platonem de Piſandro dixiſſe narrant, eum Arcades imitari, quod dictatas à ſe comœdias inopia coa-

Littar. pag. 77. Matute pagin. 53.

** In verbo Arcades.*

ctus alijs edendas daret. Quid ſi illud dixerim, Arcades hoc loco non populi gentiſue nomen, ſed militarium copiarum eſſe, quarum pluribus in locis & Notitia orbis R. & ex Scoto Lazius * meminere. *Poſtqua tempora*, inquit Lazius, *Gothis, Hunnis, Vandalis, Francis rempublicam adortis, quia non ſufficiebant ſuperiores, aut tempore diminutæ deletæque ab hoſtibus fuerant, aut acta pace exauctoratæ quædam fuerant, qui rempublicam adſerere conabantur Theodoſius, Valentinianus, Arcadius, Honorius, Stilicoque nouas legiones ſcripſere, quas proprijs nominibus cognominabant.* ſubditque ex eo tribui Arcadio legionem Arcadianam felicem in Gallijs, equitum felicium Arcadianorum in Oriente, Seniorum & Iuniorum Arcadianæ, itemque Comitum Arcadianorum inter vexillationes palatinas Thraciæ. hinc * ſub altero magiſtro militum præſentiali inter auxilia Palatina, Felices Arcadianos Iuniores, ſub magiſtro militum Orientis inter decem vexillationes, Felices Arcadianos, & ſub Magiſtro militum per Thracias, comites Arcadicos Notitia recenſet. Ex his Mome quoſcumque Arcades vel Arcadianos eliges, ij noſtri erunt Arcades. At qui potuere Geni, inquit Momus, Mamertini tui in tanta temporis anguſtia ligna ad conſtruendas naues emere, empta elegiſſe, electa cæſiſſe, cæſa fabricaſſe, fabricata armaſſe, oppidatim viros, armamenta, & commeatum comparaſſe, funeſque ſoluere, vela explicare, remos agitare, hoſtes perſequi & fugare? cum admiretur Plinius, Romanos quadrageſima die à cæſa materia ducentas viginti naues in mare deduxiſſe. cum tamen ij id temporis vniuerſæ Italiæ imperitarent. neque enim Meſſanæ legimus nauale vllum tum fuiſſe, quale Athenas, Carthaginem olim & nunc Venetos habere ſcimus. ſed age, fuerint naues, fuerint armamentaria, vbi militum numerus? Hui quam frigidam macrologiam affers Mome inquam ego, & quæ Neronianas ipſas Thermas refrigerare poſſit. Scilicet hoc illud erat, quod Littaram * pigebat, in tam dilucido facinore retexendo tantam verborum & temporis inſumpſiſſe. quamquam ille fortaſſe (vt non omnino auerſus à muſis, aut inelegans erat, quin tabulas legiſſet) Didonis aſtum imitari hic voluit. quam in Poetis legimus, empto ab Hiarba Rege loco, qui bouis corio

* lib. 3. de republ. Roman. c. 30.

* Lazius li. 5. c. 5. Panciról. ad notit. Orient. cap 33.

Littar. pag. 48. Matute pag. 41.

* pag. 95.

corio tegi poſſet, eoque in tenuiſſima hora diſſecto, tantum agri occupaſſe, vt commodiſſime vrbem caperet. eadem ratione lepidiſſimus iſte tuus orator Mome vnam illam Mamertinorum expeditionem ineptiſſima rerum enumeratione, in tot veluti atomos ſecuit, vt vel ipſa numeroſitate legentium animos occuparet. at vide, obſecro, quam inique & non bona fide in ea re verſetur. etenim ſi in hiſtoria Sicula vſum aliquem Littara habuit, & habuiſſe non vno in loco præſefert, vtique ex annalium ex ſcriptorum fide cognoſcere debuit, & ex Fazello potiſſimum, Syracuſanos, ne ſuperiora tempora repetam, nuncijs ad Mamertinos & Rheginos miſſis, vt ad recuperandam ſibi libertatem auxilio eſſent rogaſſe. *Nam ciuitates hæ*, inquit Diodorus, * *illo tempore triremes non minus octuaginta complere ſolebant. quas etiam tunc ad vindicandum ſe in libertatem priſtinam Syracuſis auxilio mittebant.* Deinde tum in Punico, tum in Pompeiano bello maritimarum copiarum ſedem Meſſanæ fuiſſe. Ad hæc Rogerij virtute eiectis Sarracenis, Meſſanæ eius expeditionis ſuſcepta conſilia, & ad exitum perducta quis ignorat? quid quod ſupra docui, Gulielmum primum Siciliæ Regem in ſumma rerum deſperatione, ab Mamertinis militum nauium auxilia poſtulaſſe? an etiam neſciebat Littara Gulielmo II. rerum potiente, cum grauiſſimæ exortæ ſeditiones Panhormi eſſent inter ſummos magiſtratus, Mamertinos quatuor & viginti triremium claſſe inſtructa, Panhormum contendiſſe rempublic. ordinaturos? belli, quod cum Carolo Andegauenſi & Neapolitanis Regibus ob Gallos cæſos exortum eſt, potiſſimam ſedem Meſſanæ fuiſſe ſupra docui, cum præſertim oſtendi noſtros viginti duarum nauium claſſe mira celeritate comparata ſecundo prælio conflixiſſe. Tandem audeo dicere, numquam rerum naualium copia, tum ad vim inferendam, tum ad ornatum vitæ Mamertinos laboraſſe. neque eſt quod militares copias deſideremus. nam quos contra Naxios, Leontinos, Agathoclem, Pirrhum, Hieronem, Poenos, Totilam, Sarracenos, Neapolitanos Reges tot tantoſque exercitus non modo in Sicilia, ſed etiam in Italia duxiſſe conſtat, cur duodeuiginti nauium claſſem adornaſſe ſupra omnem fidem eſſe, quiſquam exiſtimabit?

* lib. 14.

S ¶ Et

. ¶ Et cur enim, inquit Momus, non ſupra omnem fidem eſſe cenſeam veſtra hæc figmenta, quæ & Venetos multis ante quam noti eſſent ſæculis, ad opem Arcadio ferendam ſollicitatos ſcribunt. ipſum quoque Arcadium Siculitiſſantem inducunt, eo ſcilicet idiomate loquentem, quale nunc vſurpamus, decantatiſſimis ijs verbis, *Grammerti à Meſſina*, quæ parietinis vbique affixa publiciſque locis inſcripta vrbem totam breui occupabunt, ni titulorum ambitioni mature occurratur. atqui tamen poſt Gothorum barbararumque gentium irruptionem Italicam linguam enatam, plures teſtantur. Quid, quod vulgarem illam inſulæ partitionem, quam vel Sarracenis, vel recentiori æuo doctiores tribuunt, Arcadij ætate vſurpatam indicant, cum Ariſtidem Meſſenium vallis nemorum præfectum ad extruendam nauem pecunias contuliſſe narrant. Quid tandem illud, quod vnum & impoſturam fabulæ detegit, & quam rudis atque indiligens temporum obſeruator fuerit, qui hiſtoriam concinnauit, apertiſſime oſtendit. narrat enim, poſt relatam ab Arcadio Mamertinis tam multiplicem gratiam, Græculum hominem neſcio quem ad inuidiam vſque commotum, quod Imperatoria ſigna Meſſanenſibus communicarentur, adijſſe Arcadium, eique veluti exprobraſſe, quod tam facile, tam vili ſuorum Palæologorum inſignia prodegiſſet maiorum virtute parta quæſitaque. quaſi aut Arcadius ex Palæologa familia fuerit, aut ſupra annum quadringenteſimum Palæologi gentium vſquam extitiſſent. atqui, ſi Orientalem hiſtoriam tenemus, floruere iſti non niſi poſt duodecimum ſæculum. Si hæc non ſupra omnem fidem ſunt, quæ tandem alia erunt. Piget iam minutiora perſequi. ſed nec Littaræ, quæcumque in rem afferri potuiſſent, complecti animus fuit. ocioſorum ea iudicijs examinanda prætermiſit. ipſi enim inter multiplices occupationes negotioſo nullus eam hiſtoriam adamuſſim expendendi locus eſt relictus. Id vero ſatis agnoſco, inquam Mome. nam Littaræ, dum hæc ſcriberet Heroibus * illis ſuis obtemperaturus, præter aſſiduas litterariæ paleſtræ curas, quibus tot puerulis qua ſe ſe inuicem ad plagoſiſſimum magiſtrum deferentibus, qua ob inflicta verbera quiritantibus merito & iure diſtinebatur, illa etiam acceſſerant, librorum, qui ad rem litterariam pertinent, lucubratio

Margin notes: Littara pag 82. Littara pag 89. * Littara pag. 1.

cubratio

ſubratio & editio. eorum ſcilicet commentariorum, qui de notis, ſiue accentibus, ſeu comis tam magno reipublicę bono typis neſcio quibus prodiere. ſed tamen & illud ſcio, excuſationes eum iſtas dicis & moris cauſa præſeferre. ecquis enim non videt, hominem in tractatione hac neruos intendiſſe omnes, nihil fere quod conſideratione dignum videretur, prætermiſiſſe, etiam contendendi ſtudio ineptiſſimis interdum eſſe vſum argumentis, qualia hæc ſunt, quæ mox afferebas. Venetos enim * iam inde à Romanæ reipublicæ florentis æuo togatam Galliam incoluiſſe, quis vel mediocriter in Geographicis doctus ignorat? quid eſt igitur, quod Littara demiretur, Arcadium Venetorum opem deſideraſſe. nam ſi quis in ſuſpicionem veniat, quod narratio ipſa Siculi dialecti, qualem nunc vſurpamus, verba referat, quæ illo æuo nec dum nata; eadem ratione reijciat neceſſe eſt, ea quæ Liuius, Halicarnaſſæus, Plutarchus de Porſenæ, Pirrhi, Annibalis rebus geſtis ſcripſere. quos certe, cum non Latina, ſed ſua quemque Hetruſca, Græca, & Punica lingua locutos conſtet, illi Latine vel Græce dicentes inducunt. accuſet etiam illorum fidem vel induſtriam, qui doctorum hominum libros aliena lingua ſcriptos noſtra veluti ciuitate ac ſermone donant. Nec vallis nemorum præfectum Ariſtidem ita dictum cenſeas velim, quaſi primæ inſulæ regionis curator fuerit, quam Demennæ vallem maiores noſtri dixere, ſed quod certi loci, quem id temporis hoc nomine indigitabant, præfecturam geſſerit. tandem in eo, quod extremo loco de Palęologis ſubijciebas, agnoſco interpretis erratum. neque enim Græcus ille quæſtus eſt, quod Palæologorum vexilla Mamertinis traderentur, ſed quod veterum ſuorum, ideſt vſurpata per veteres Imperatores ab Conſtantini æuo Labari ſigna externis hominibus communicata tam facile eſſent. ſcilicet cum in authographo ſcriptum eſſet, παλαιγοῖῶν, ideſt veterum ſeu antiquorum ſuorum inſignia, deceptus, vti fit, verbi ſimilitudine interpres, de Palæologis locum eſſe intelligendum putauit, qui diu glorioſeque in Oriente rerum potiti ſunt.

* Mela de ſitu orbis lib. 2. cap. 4. Sigon. de iure Ital. lib. 1. cap. 15.

¶ Faceſſat itaque iam tuus iſte Littara, neque optimi Imperatoris munera ac beneficia meritiſſime in Meſſanenſem vrbem collata inuideat, quibus eam & Siciliæ & Magnę

quoque Græciæ Protometropolim eſſe iuſſit. Quid, inquit Momus, etiam ne hoſce titulos decernere Imperatoris eſt? ac non potius Romani Pontificis, penes quem omnis eccleſiaſticarum rerum cura & cognitio eſt? an vero fruſtra in Calcedonenſi Synodo * cautum, eos qui ab Imperatoribus Metropolitæ fiunt, nomine tantum cenſendos eſſe? Scilicet ignoras Mome, inquam, Orientis Imperatores hoc ſibi vel poſt concilium illud ſemper vindicaſſe, vt Metropolis dignitatem in eccleſias ciuitateſue conferre ſuo iure poſſent? An non & Iuſtinianus patriam ſuam Iuſtinianam primam in vtraque politia Metropolis titulos ferre iuſſit? cuius generis, præterquam per plura exempla apud Berterium * habes, Alexij Comneni lex * apertiſſime probat, ſacrorum Canonum priuilegio Imperatores illos accepiſſe, vt Metropolis vel Archiepiſcopatus titulo ciuitates ornare poſſent. quamuis, vt verum fatear, titulus ille, vt aliquanto elatior, ita non omnino mihi arridet. ita vt protoptolis legendum potius ſuadeam. qua acceptione Tarſus Ciliciæ vrbs prima & protoptolis à Nonno, & Antiochia ab Eunapio ſalutantur, vt Berterius * teſtatur. vel certe Metropolis. propriè namque * Metropolis vrbs dici ſolet, quæ veluti filiorum ſobole clara plures colonias emiſerit, quales Roma, Athenæ, Miletus, Tyrus, aliæque vrbes plurimas dedere. nempe eodem ſe iure coloniæ ad metropolim habent, quo filiæ ad matrem. inde Matrices vrbes dici Budæus cenſet, quas Græci Metropoles appellant. idemque habet Faber * in ſemeſtribus libris. Igitur iure optimo Meſſanam & Siciliæ & Magnæ Græciæ metropolim vel protoptolim ab Arcadio dictam cenſuerim, quod hæc Metaurum, * Pixuntem, illa vero Mylas, Hiblam, Tauromenium, Himeram Meſſanæ colonias agnoſcant. adeoque tute ipſe Mome intelligere potes, quo iure quidam eo nomine ſe venditent, & primatum vel inuitis Dijs ambiant, quos ſuo in ſinu gaudentes, ſuis contentos delitijs, quas eximie prædicant, non gloriæ cupiditas, non bellorum neceſſitas domo eduxit.

Quorum nec ratio eſt, numero neque ponitur vllo,
Extremæ ſortis, veluti quondam Megarenſes.

qui non vrbes, non oppida, non caſtella, non vicos vllos colonias habeant, vt non inepte illudijs tribuas,

Littar. pag. 92. 93.

* *act. 14. canon. 12.*

* *Pithanon diatr. 1. c. 5*

* *tomo 1. Iuris Græc. Rom. lib. 2. in Nouellis Alexij nouella 3.*

* *Pithanon diatr. 1 c. 5.*

* *Budæus in notis ad l. obſeruare ff. de offic. Proconſ.*

* *Semeſtr. lib. 1. cap 9.*

* *Strabo l. 6 Solin. cap. 8 Fazell decad. 1. lib. 1. cap. 2.*

Quaſi

Quaſi cum caletur cochlea in occulto iacent,
Suo ſibi ſucco viuunt, ros ſi non cadit.

niſi ſi eo prætextu id excuſent, quod T. Quinctij Flaminini conſilio multum ſe delectari dicant, quo Achæos hortabatur, * ne Peloponneſo caput efferrent, teſtudinis exemplo, quæ vbi collecta in ſuum tegumentum ſit, tuta ad omnes ictus videatur, vbi partes aliquas exerat, quod cumque nudauerit obnoxium infirmumque habeat. Momus ſum, non Oedipus, inquit hic Momus. * Liui. lib. 36.

nec, niſi audiero, queam
Viam tuorum noſſe cogitatuum.

Itaque niſi indoctius rudius ac planius loquaris, inaniter, quod dici ſolet, aquam conſumis. Atque interim, Dij te perdant, excidit mihi vnum, de quo doceri à te maxime voluiſſem. Num ne, inquit Ariſtobolus, de Rogerij priuilegio loqueris. nam & illud quoque à Corſetto falſi ſuſpectum in iudicium vocari video. Ne id quidem erat, inquit Momus. Tum Ariſtobolus. ſiſte igitur gradum Mome, & memoriam excita, quid tandem illud ſit expende. At ille indignabundus, ſcilicet magni, inquit, conſtare Corſetto putas vnius aut alterius argumenti iacturam, qui nouendiq tam magnum librum nobis obtruſit. cui ſi Genius naſum mouere pergat, næ vix integro anno vertente obrutum ſe atque oppreſſum quadraginta librorum mole deprehendet. nam Rogerij diploma, & ſi ex his quæ Corſettus * diſſerit, labefactari non nihil videatur, non tamen ea tanti ſunt, vt cenſorio ſtilo expungendum velim. Heus, ſuſpectæ mihi tuæ iſtæ intempeſtiuæ blanditiæ ſunt Mome, inquam ego. at non annoſam vulpem laqueo facile capies. neque ego tam doctum ac verſipellem patronum cauſæ meæ admiſero. Ne quis igitur dubitandi locus Corſetto reliquus fiat, cæptum iter ego proſequar. * pag. 72. 73.

¶ Atque, vt illud taceam, Gaufridum, quem ille ſuæ ſententiæ teſtem profert, hiſtoriam ſuam haud quidem Rogerij Comitis, vt Corſettus putat, ſed Rogerij Regis iuſſu ſcripſiſſe, quantum illud eſt, rei geſtæ ſeriem ijſdem pene verbis atque à noſtris memoriæ prodita eſt, à Fazello recipi. qua ſuper re animaduertendum eſt, Scriptorem illum & ſi in alijs Meſſanenſium rebus geſtis enarrandis hæſitare videatur,

hanc tamen Rogerij in Sarracenos Siculos expeditionem ingenue aperteque Mamertinis adſcribit. Accedit,quod Fazellus occupatæ à Sarracenis & in libertatem vindicatæ à Normannis inſulæ noſtrorum ductu conſilioque hiſtoriam ex antiquiſſimo codice ſe eruiſſe non immerito gloriatur, qui res geſtas à Nicephoro Imperatore ad Iſaacium vſque Comnenum,atque adeo Rogerij tempora complectitur. Adde quod Rogerius Rex Comitis filius clariſſime teſtatur, patrem Mamertinorum opera ad res Siculas inuitatum, his verbis,quæ bona fide Fazellus * refert. ſic enim iſte ſcribit. *Neque vero Meſſanæ minus gloriæ ex Sarracenorum expulſione prouenit, cuius initium huic potiſſimum vrbi Siciliæ tot annos fœdo gentilium dominatu oppreſſa & fert & feret acceptum ſemper. cuius inſigne teſtimonium præſtitit in diplomate ſuo Rogerius Rex ipſo coronationis ſuæ die 15. Maij 1179. Nouimus itaque, quot labores & damna ſuſtinuerit nobilis & laudanda ciuitas Meſſana eiuſque ciues, vt expulſis Sarracenis Chriſtianum dominium in Sicilia refulgeret. nam magnificum quondam patrem noſtrum ad illam capeſſendam introduxerunt, ope & opera promouerunt cum maxima ſanguinis effuſione, donec in ipſius magnifici patris noſtri dominio ſecluſis infidelibus fuit tranquillitas ſerena pacata.* Hæc Fazellus. qui, ſi verum amamus, Meſſanenſium res geſtas ieiune ſatis ac frigide proſecutus eſt. Id quoque veteribus Siculis ſatis cognitum, & extra controuerſiam fuiſſe, indicat laudatus à me Ioannes Iacobus Hadria in Sicula hiſtoria. in qua non ſemel *Rogerium Capuate & Salernitano regulis, proceribus quoque Meſſanis* (ſic ille loquitur) *adiutantibus, Siculam expeditionem magno animo ſuſcepiſſe* narrat. Porro autem quod Gaufridus, & ij, à quibus recuperatæ Siciliæ hiſtoriam accepiſſe ſe in præfatione ipſe teſtatur, noſtratia hæc ignorauerint. nihil miror. neque enim eiuſmodi ſunt iſta prodendarum vrbium conſilia, vt palam & in oculis omnium fiant, vel multorum fidei tuto credi poſſint, ſoli ipſi principes conſcij, ſoli rem omnem ex præſcripto ordine conficiunt. Quamquam ego quidem induci vix poſſum, vti opiner, ita incurioſum Scriptorem Gaufredum fuiſſe,vt nobile hoc Mamertinorum facinus eum latuerit. quin magis eſt, vt ſuſpicer, authographum

* decad. 1. lib. 1. cap. 1.

Gaufridi

Gaufridi codicem, qui Troinæ primum in monaſterio S. Michaelis repertus eſt centum ab hinc annis, hiſtoriam hanc agnouiſſe, ſed in exemplo, quod Hieronimus Surita nactus eſt, mala alicuius fraude inuidiaque totum illud caput primum ſecundi libri, quod ad Meſſanenſium Legationem pertinet, expunctum fuiſſe. nec mala coniectura id aſſequi videor. etenim Anonimus Scriptor, qui anno 1605. propugnationem Siculæ Monarchiæ Matriti edidit, pagin. 7. habet, *Maniacum foedere cum Normannis icto Sarracenos tota Sicilia expuliſſe. poſt vero orta inter ſocios diſſenſione, ſolos Græcos inſula potitos. ſed his viciſſim à Sarracenis expulſis, ad hos imperium tranſiiſſe, hactenus, dum Rogerius à Mamertinis euocatus, probante atque etiam iubente Nicolao Romano Pontifice eis auxilio veniens, Meſſana inſulam aggreſſus, cæſis fugatiſque hoſtibus eos in ditionem redegit.* cuius narrationis cum authorem laudet Gaufredum lib. 2. cap. 1. manifeſto indicio eſt, eam in authographo ipſo codice eum legiſſe, quem ſeptimancæ aſſeruari ſcribit. alioqui edita ab Hieronimo Surita Gaufredi hiſtoria neque Meſſanenſium legationis, neque Nicolai Romani Pontificis meminit. Fuiſſe vero Meſſanam ſummis laboribus à Rogerio oppugnatam, tandemque expugnatam facile Gaufrido largior, Sarracenis ſcilicet ſtrenue fortiterque annitentibus, ne ea vrbe pellerentur, qui ſcirent, ver ex anno illis exaruiſſe, qui reliquum inſulæ teneant, ſi Meſſanam in hoſtium poteſtatem ſemel venire patiantur.

¶ Hic cum ego dicendi finem feciſſem. An ne eo cauſam obtinuiſſe, cenſes Geni, inquit Momus. Et ego. Id vero, inquam, horum ſit iudicium, qui nos dicentes audiunt. Ille vero. Statue tecum ipſe Geni, inquit, diplomata hæc oraculo veriora eſſe. at non ea impedimento ſunt, quominus Mamertinis iuſtum vectigal imperari poſſit. forte enim priuilegia hæc rationabilia Romanorum ſtante republica videri poterant. ſic etiam tempore Regum Siciliæ, qui varijs aliquando conflictati calamitatibus tempori deſeruire, perſuaſum habebant, quæ eadem Rege noſtro inuictiſſimo & potentiſſimo regnante irrationabilia ac noxia prorſus quieti & tranquillitati regni videntur. Primum quia contemptum principis pariunt, cum maieſtatem eius lædant & ſubuertant.

Corſett. pag. 84. *Marute pag. 30.* *Corſett. pag. 13.*

tant. nam quid magis authoritatem & maieſtatem Princi-pis offendere poteſt, quam iuſſionibus & mandatis eius à ſubditis non obediri. deinde monarchiam tollunt, obedientiam & reuerentiam negant, tributum & ſubſidium debitum principi denegant. ſed quid aliud penes principem, cum prætendunt penitus Meſſanenſes immunes eſſe à quibuſcumque muneribus vectigalibus & impoſitionibus. hæc ſi auferantur à ſubditis, nihil aliud remanebit ſubiectionis ſignum, excludetur potius dominium, remaneret tantum in illa ciuitate regia protectio, non iuriſdictio. turbant inſuper tranquillitatem communis hominum ſocietatis. omnia neceſſe eſt, vt concutiantur, & confundantur, quæ certe ſi non eſſent, modo regale ius ſuum Mamertini non oppugnarent, & abſque aliqua perturbatione nos verſaremur. Hic ego interpellans. Bona verba quæſo, inquam, Mome. Liceat mihi per humanitatem tuam, ſi vlla eſt, quando tanta vocis ac laterum contentione prædicas, Meſſanenſium immunitates contemptum maieſtatis parere monarchiam tollere, tranquillitatem inſulæ turbare, regium ius oppugnare, magiſtratus ſummos torquere. liceat, inquam, mihi ſemel hoc loco tecum paulo liberius expoſtulare, an vnquam à maioribus acceperis, vel apud hiſtoricos legeris, Mamertinos tot tantarumque prærogatiuarum, vt tu iactas, ſpe fretos eo amentiæ proſiluiſſe, vt non verbis modo, ſed re quoque ipſa præ ſe tulerint, ſumpturos ſe in Principem arma, eiuſque ſanguine Matthei Bonelli manibus parentaturos, ſi quid durius in illum conſuluiſſet. Num Mamertini Gulielmum Regem, Stephanum Perſicenſem, Hugonem Montecatenum, Hectorem Pignatellum, Lupum Simenium pro Rege prouinciam adminiſtrantes, manu prehendere, catenis vincire in vinculis, in cuſtodia habere, ad necem poſcere, vrbe exigere, aliquando auſi? ſcilicet Meſſana illa fuit, quæ ab Rogerio, Manfredo, Ludouico, Martino & Maria Siciliæ Regibus, cum defeciſſet, varios atque funeſtos in inſula motus excitauit? Meſſanæ Catalani, Hiſpani occidione occiſi, ſummi magiſtratus immaniter trucidati, in ipſos ſacroſanctæ Fidei Quæſtores illata vis, ægreque ac vix tandem ſemel & iterum à ſacrorum Antiſtitum cæde temperatum? Quæ iſta igitur eſt perturbatio, quam tertio quoque verbo Patroni

Conſult. pag. 99.

tui

tui blaterant, qui metus, quæ oppugnatio, quis ſummæ maieſtatis contemptus. Hoc ego te tuique ſimiles metu libero, quamdiu vos Meſſanæ eſſe continget. Sunt quidem Mamertini aeres, ſunt paulo vehementiores in tuendis Regum beneficijs atque ornamentis. non tamen adeo animi impotentes, vt priuatam vrbis cauſam, priuata commoda publicæ fidei, qua & maiorum ſuorum inſtituto & propria voluntate Principi ſuo ſe obſtrinxerunt, præferenda exiſtiment. Illud itaque noſtris antiquiſſimum eſſe cogita, ſi quæ vnquam tempeſtas ijs imminet, eorum præſertim opera excitata, quibus aliorum ruinis creſcere conſtitutum eſt, eam tum fuſis ad Superos precibus, cum etiam per iuris & æqui tramites propulſare, ſi poſſint, ſin minus forti erectoque animo fortunam omnem, quæcumque tulerit, ſuſtinere, quam vt Principis maieſtatem imminutam velint.

¶ Ridendum porro illud, quod ſubiungebas, immunitates haſce & prærogatiuas æquas ſalutareſque videri potuiſſe florente Romana republica, itemque Siculorum Regum tempeſtate. nunc vero orbis pene vniuerſi imperio ad Auſtriacos Reges delato iniquas potius & reipublicæ noxias apparere; prorſus quaſi cenſeant Patroni tui, aut Romanos iuſtius, quam Auſtriacos orbis imperium adminiſtraſſe, aut ignoraſſe illos veram Principatus artem ac diſciplinam, aut, quo latius regni fines protendantur, vireſque & potentia accreuerint, eo itidem Principi licentiam creſcere, vt pro libidine pactas cum ſubditis leges violet, fœdera immunitateſque reſcindat. Nam circa illud vltimum, quod poſtremo loco inculcas, & ſi quidam priuilegiorum morem improbent, eam maxime ob cauſam quod leges publicæ vtilitatis cauſa in vniuerſos & ſingulos latas, in priuatorum gratiam reſcindere videantur, qua mente Seneca * ſatius eſſe cenſebat etiam iniuſtam excuſationem à priuatis accipi, quam ab omnibus aliquam tentari, & Auguſtinus, * priuilegia, & quas ipſe appellat, diſpenſationes, legum vulnera appellat. hæc tamen & reliqua id genus, quæ cumulari in hanc ſententiam poſſent, ſolum de immoderata &, vt ita dixerim, prodiga largitione priuilegiorum intelligenda ſunt. inde Leo Pontifex. * *priuilegia*, inquit, *vulgari nimis non oportet, ne honor cui debent excellentiora committi, ſui numeroſitate*

** de beneficijs cap.*
** in c. ipſa pietas 23. q. 4.*
** in c. epiſcopali de priuilegijs.*

meroſitate vileſcat. alioqui niſi interdum aliqui leges ſoluerentur, ipſa iuris ac legum ratio ſine ſumma perturbatione conſiſtere minime poſſet. nullam enim legem, nullum Senatuſconſultum in Romana republica latum ad omnia ſufficienter eſſe, dixit Iuſtinianus. * quod ſi nullus vnquam diſpenſationi locus eſſe deberet, ſurdæ leges eſſe inexorabiles, nihil laxamenti, nihil veniæ haberent. Iure igitur Claudium Imperatorem Suetonius * memoriæ prodidit, non ſemper iuris præſcriptum ſecutum, legum & multarum duritiem ex bono & æquo mitigaſſe. Moderatum vero priuilegiorum vſum ſi quis damnet, is neceſſe eſt, tollat ſtudium omne de republica benemerendi. huiuſmodi enim beneficiorum ſpe in id omnes allicimur, inuitamur. quippe ciues non modo pœnarum metu, ſed etiam præmiorum expectatione optimos effici, Vlpianus * ſcribit. nam quid magis naturæ amicum conſentaneumque, quam præmijs eum affici, cuius opera ac virtute reſpublica optime ſit vſa. in barbaris ipſis nationibus hanc humanitatem non deſiderabimus, quod fuſe & erudite proſequitur Petrus Gregorius * in ſuis de republicæ libris.

** in præfat. auth. quib. mo. nat. eff. ſui.*

** in Claudiano.*

** in l. 1. §. 1. de iuſtit. & iur.*

** lib. 3. de republ. c. 9.*

¶ Neque multum noſtræ huic ſententiæ officiunt, ea quæ in ſuperioribus adducta. abrogari enim legem priuati alicuius hominis gratia, perabſurdum & iniquum. corrigi vero, inflecti, emolliri certis quibuſdam euentibus, æquitati maxime conſentaneum. cum præſertim abſque iuris ſingularis auxilio facile ius vniuerſale in lapidem impingat. facile ex ſummo iure, iuxta vetus verbum, ſumma oriri ſoleat iniuria. Vulnera porro ab Auguſtino appellantur priuilegia, ſed eius tamen generis vulnera, quæ non perniciem vllam male affecto corpori, ſed ſalutem afferre poſſint. itaque rectiſſime ab eodem Auguſtino ijs vulneribus comparantur, quibus inciſa aliqua corporis parte membris vniuerſis ſalus reſtituitur. Quod ſi quis vrgeat, in æqualitate conſiſtere æquitatem, omniumque æquam eſſe debere rationem in publicis functionibus, id intelligendum, non de ea æqualitate, qua ſine vllo delectu ius idem omnibus redditur, id enim abſurdum omnino & irrationabile eſſet, ſi vno omnes vniuerſim iure cenſerentur, ſed de ea æqualitate, quam recte quiſpiam arithmeticam dixerit, quæ ſuum &

vnicuique

vnicuique conueniens, æqualia æqualibus, inæqualibus inæqualia tribuit. mitioribus enim aut durioribus legum conditionibus quiſque tenendus eſt, vt ampliora ſunt vel pauciora eius in rempublicam merita. ac ſicuti Regibus cæteriſque optimatibus, qui in republica caput ipſum referunt, non ſine iniuria quiſpiam commoda inuideret prærogatiuaſque, quæ fortunam illam ampliſſimam comitari ſolent, cum hi aſſiduam operam, ſtudia, vigilias, conſilia, labores in rem communem conferant & nobilem quandam ſeruitutem ſeruiant, pari ratione neque inuidere ijs debemus, qui ob egregia eorum in rempublicam officia ſingularibus quibuſdam prærogatiuis affecti reliquæ multitudini præferuntur. Sed hæc Mome attigiſſe ſatis ſit; nam ſi pro dignitate locus iſte eſſet exornandus, & longiori diſputatione, & alio fortaſſe commentario opus eſſet. At non idem ego ſentio, inquit Momus. quod ſi petitis ex iuris ciuilis ſcientia argumentis diſputandum ſit, næ faxo dicto citius ſententiam mutes, totaque cauſa cadas. Noſtrum cura hæc erit, inquit tum Dicarchus. nos rerum capita & iuris principia priuatim examinabimus. tibi vero nimium indulges Mome, qui perbreui Iuriſconſultorum vſu & conſuetudine te Iuriſconſultum putes. ſed neque ego video, quam bene iuris illud ſacerdotium, cuius merito nos Sacerdotes appellant, moribus tuis hiſce accommodari poſſit. quare, niſi quid aliud in hiſtorica re habes, quod Mamertinorum monumentis opponas, nihil vos miror Patres. & cum dicto facta diſceſſio. Atque hæc illa ſunt, quæ ijs congreſſibus diſputata inter nos eſſe tum memini. plura fortaſſe alia vel memoriæ imbecillitas, vel temporis lapſus obliterauit. Iam deinde quid ego hic ſingulas eius iudicij actiones, quibus cauſa diſcuſſa, atque cognita eſt, dicendo perſequar? quid Momi artes, induſtriam, Aduocatorum ſtudia, contentioneſque repetam? quid ampliationes, in integrum reſtitutiones ad protrahendam cauſam aduerſariorum vitio obtentas enumerem? Sane cum diu multumque producta res eſſet, & iam moræ huius tædium Iudices caperet, tandem itum in conſilium eſt, frequentiſſima tabella pronunciatum. *Videri non iure imperatum Mamertinis vectigal eſſe. interim tamen vſuros ſe eorum eximia liberalitate, qua centum & quinquaginta*

quaginta aureorum millia in Regium ærarium collaturos ſpoponderant.

Pueri ſape lacum propter ſe ac dolia curta
Somno deuincti credunt extollere veſtem,
Totius humorem ſaccatum, vt corporis fundant,
Cum babilonica magnifico fulgore rigantur.

Lucret. lib. 3.

F I N I S.

A01 1467270